



AYUNTAMIENTO  
DE MURCIA  
**ARCHIVO**

EST<sup>E</sup> ..... 1

TAB<sup>A</sup> ..... 5

N.º ..... 16









(1)

SEDENTI SOLI CIVITATI,  
 PLENÆ POPULO,  
 AFFLICTÆ DEIPARÆ  
 REGINÆ MARIÆ,  
 CUI ANGSTIÆ  
 SUNT UNDIQUE,  
 DICO EGO OPARA MEA.



*UM assidue omnes, ó Innocentissima Virgo Maria, Princeps generosa, Martyrumque prima Rosa, ut TUUM dolorem, atque angorem, in plateis Oppidi clamitans tam ardenti amore voces, apprehensa nimirum inter Angustias, ut neque taceat pupilla oculi TUI, TUUS ego gloria desiderii: ac desiderio gloriæ si minus operibus dignus, advenio Filius, pulchritudinem certé Cæli, tot tormentis, ac pœnis obscurato Sole jam fuscam, quam possim tenerimé admiraturus, & maxima prosecuturus compassione. TE equidem á Domino valdé repletam*

*tam absynthio, vulneratam, atque afflictam, uti Filiam Sion tristem, ac desolatam, piissimé contemplor, totisque devoti animi viribus consolari, tametsi nec satis sit consolationum, cum, qui consolabatur, recesserit, vehementer cupio, TUARUM Angustiarum particeps, ut veri in tam Piam Matrem amoris signum, ac pignus exhibeam, esse glorianter volens. Ad hoc profectó me dum lacrymis invitas, supernis excitas, atque attrahis deliciis, affectuosissimi cordis donum efflagitans. Sed quid TIBI non afferatur, & offeratur, quæ tot Doloribus, atque Angustiis Cælica nobis gaudia attulisti? Fulcite me (ais) floribus::: quia amore langueo. Suscipe igitur Philosophicos hos Flores ex amæno Ven. N. Subt. Doct. Joannis Duns Scoti Vireto ad Palæstram in TUUM sertum desumptos, quos TIBI uná cum meo P. Præsidente, protectionem expectans, humiliter, ac reverenter O. D. S.*

**D. PAULUS RAYMUNDUS**  
**Cisneros.**

*Sit*



Sit & ad Opus sacrandum  
Mediator,

PERILLUSTRIS

D. D. BARTHOLOMEUS

THOVAR,

PERDIGNUS SANCTÆ CATHEDRA-  
lis Ecclesiæ Carthaginensis Præbendarius:  
qui merito ad hoc in TUIS Aris munus  
collocandum aptissimus est inventus. Ipse  
etenim TE *Angustiis* oppressam, piissimo  
cordis affectu veneratur, tenerrimaque  
devotione cunctos ad compassionem invi-  
tat, ac dirigit. Totus in TUO & obse-  
quio, & cultu sedulô versatur, & verum  
acquirat honorem, ac dignitatem, ut Ec-  
clesiastici decoris columnen ritè habeatur,  
charitate in primis inter tot, quibus in-  
fig-

fig-



signitur , virtutes excellentes , atque emi-  
cante. Ideó maxima & nominis existima-  
tione , & auctoritate , quó modestior esse  
pudet , gravissimo in Clero pollet , & á  
cunctis collaudatur. Prosperé ergo proce-  
de , Præclare D. Piissimæque Matri Vir-  
gini Mariæ *Angustiis* plenæ , cui & cor-  
tradis , litterarium hoc munus pro me , at  
mundius , atque adeó digniùs , gaudenter  
consecra , perenneque devotæ mentis pig-  
nus relinque. In hoc certé me amplissimo  
super plurima , ac maxima TUÆ in me  
immerentem generositatis beneficia affece-  
ris honore. Cæleste hinc fer præmium , ac  
me ulteriùs benigné , & munificé confo-  
vens , ad majus Ecclesiæ ornamentum  
VALE.

PRO-

# PRO ÆMIUM.

DE PHILOSOPHIÆ NATURA, OBJECTO,  
adque origine.



Philosophia, ut olim agebat Cicero, nihil aliud est, si nominis etymologiam spectemus, quam *studium, & amor sapientiæ*. Quod utique nomen primus usurpavit Pythagoras, ut communis fert opinio. Sapiencia verò universim considerata aptissimè describitur à Cicerone lib. 2. de Officiis: *Est rerum divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur scientia* Objectum igitur materiale præstantissimæ hujus facultatis collectivè sumptæ sunt res omnes tam divinæ, quàm humanæ naturaliter scibiles. Formale verò est earum rerum scibilitas, seu veritas certò, & evidenter cognoscenda. Primus ergo Philosophiæ Auctor, sicut & bonorum omnium, Deus est, qui & Protoparenti Adamo omnigenam rerum omnium naturalium exquisitam, perfectamque notitiam infudit, ut ipsamet Scriptura Sacra testatur. Habet namque: *Creavit illis, primis scilicet Parentibus, scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis*. At verò prævalentibus sensim ignorantia tenebris, quas peccatum humanæ menti offuderat, cæleste illud donum crassa occultari caligine in posteris cœpit; donec nonnulli excussa cæterorum socordia, illud excitare, ac veluti à fundamentis restaurare viribus, nesvisque omnibus sunt aggressi. Hinc omnibus penè Nationibus illuxere sapientiæ amatores, ac veritatis perscrutatores eximii: ut Hebræis Rabbini, Babylonis, Assyriisque Chaldæi,

A

Per-

Persis Magi, aliisque populis alij duces philosophandi fuere. Græci tamen præ cæteris in Philosophiæ instauratione celebrantur, quod in singulas ejus partes diligentius incubuerint, & eam in quoddam veluti corpus digestam scriptis suis in posteros transmiserint. Ab istis autem variæ manarunt philosophantium Sectæ, ut Jonica, Italica, Academica, Pyrronica, Atomistica, & Peripatetica: Ex quibus si expediat Christiano Philosopho unicam seligere Sectam, & non vagari per omnes, hanc ultimam esse seligendam, cæterisque præponendam, haud immerito arbitramur.

*DE EXISTENTIA, DIVISIONE, CAUSIS,  
necessitate, & utilitate Philosophiæ.*

§. I.

**O**Bcecata hominum mente post primi Parentis scelus nonnisi rudem, imperfectamque in nobis esse Philosophiam, contra Dogmaticos fateri nos oportet. Nam ut sapienter animadvertit Divinus Hypocrates: *Hominum est vita brevis, ars longa, occasio præceps, experientia falax, & judicium difficile.* At contra Academicos, qui nihil cognosci, nihil sciri posse abiebant, firmiter propugnamus, multa à nobis percipi, multa nobis certa esse, & explorata; proindeque apud nos veram Philosophiam existere. Hujus itaque causa, prout ab Antiquis Philosophis illustrata, propagataque fuit triplex assignari potest. Prima producens scilicet, intellectus, & objectum. Secunda movens, nempe, admiratio, & sciendi desiderium. Tertia adjuvans, quæ est experientia. In quantum ergo ad ejus partitionem, quatuor recensentur principales Philosophiæ partes in quas adæquatè dividitur, videlicet, in Logicam, Metaphysicam, Physicam, & Ethicam, seu moralem. At verò ut aliquid de ejus utilitate, atque necessitate dicamus, hominem in tripli-

plici statu ut consideremus oportet, videlicet, quatenus homo est, vel quatenus Christianus, vel quatenus beatificandus. Si primo modo consideretur, certe judicamus, Philosophiam illi necessariam esse, non tantum necessitate utilitatis, sed necessitate medii ad suam naturalem felicitatem complendam: at non sic ad sanctitatem, & Beatitudinem æternam consequendam; sed solum necessitate utilitatis. Si autem tertio modo accipiatur, Philosophia ipsi nullatenus obest, imò plurimum confert, ut sese in fide corroboret, alios confirmet, hæreticosque confundat.

*DE VERITATIS DIJUDICANDÆ MEDIO,  
seu Criterio.*

§. II.

**L**egitimum veritatis dijudicandæ Criterium communi Philosophorum consensu tanto robore obfirmatum esse debet, tantaque infallibilitate donatum, ut errori non sit obnoxium, sed per sese regula sit infallibilis, & certa quædam nota, ac perspicua lux, quæ verum à falso aperte distinguat. Hinc cum sensus nostri multoties nos decipiant, nequam possunt esse tale medium veritatis invenidæ, ut post Epicurum consentiunt Gasendistæ. Unde tamquam fallibiles à nobis rejiciuntur quatuor illi epicurei canones sub his terminis conclusi. Primus: *Sensus numquam fallitur; ac proinde omnis sensatio, omnisque Phantasia, seu apparentiæ perceptio vera est.* Secundus: *Opinio est consequens sensum sensationique super adjecta, in quam veritas, vel falsitas cadit.* Tertius: *Opinio illa vera est, cui suffragatur sensus evidentia.* Quartus: *Opinio illa falsa est, cui non suffragatur sensus evidentia, vel ei refragatur.* Accedit huc Cartesius, qui ad cognoscendam rerum incognitarum veritatem, docet in prima sua meditatione, semel

mel in vita de rebus etiam certis, & manifestis dubitandum esse. Hinc supponit cuncta adspectabilia non aliud esse, nisi ludificationes somniorum, seque re ipsa non habere corpus; & in hac meditatione defixus id unum affirmat se cogitantem existere. Sed quia repugnare intelligit, se cogitantem non existere concludit in tertia meditatione: *Illud omne, quod à nobis clare, & distinctè percipitur verum esse, nihilque admittendum esse tamquam verum, quod à nobis clarè, & distinctè non percipiatur.* Verum etsi laudibile sit initio dubitare, ut sentit Mag. P. Augustinus, summaque profectò temeritas sit de re nonnisi leviter explorata sententiam pronuntiare; tamen nec generalis cartesiana dubitatio, nec idea clara, & distincta constitui possunt, ut legitimum veritatis dijudicandæ Criterium; sed id solis regulis logicalibus competere posse propugnamus: præsertim verò tribus instrumentis sciendi, videlicet, Definitioni, Divisioni, & Argumentationi.

*DE PRÆCIPUIS LOGICÆ REGULIS, UBI aliqua Critices principia exhibentur.*

§. III.

**D**uplex est via quam sequimur, inquit Mag. P. Augustinus cum rerum obscuritas nos movet; quia aut sequimur rationem, aut certè auctoritatem. Rationem sequimur, cum in rebus considerandis ad ea attendimus, quæ vel per se nota nobis sunt, vel in nobis metipsis sentiendo experimur. Ducimur verò auctoritate, cum in ferendo de rebus iudicio dictis aliorum stamus. Hæc posterior assensio *fides* dicitur, quemadmodum cognitio, quæ priori modo obtinetur scientia vocatur. Fides duplex est, divina, & humana, sicuti vel divina, vel humana est illa auctoritas, quæ ad assensum nos movet. Hinc cum

Lo-

Logici munus sit , regulas , & præcepta quædam proponere , seu , ut ajunt , loca pleraque exhibere è quibus momenta depromantur disputationibus efficiendis , dirigendisque accommodata , regulas hic paucis exhibemus , quæ in ferendo de rebus judicio principiorum loco haberi possunt. Prima : Nulla propositio ex suis terminis prorsus inevidens admittenda est ut vera , nisi prius valor medii , quod ad eam ostendendam assumitur , probè expendatur. Secunda : Certa nobis debet esse illa propositio , quæ per medium infallibile vera cognoscitur. Tertia : Metaphysicè certa debet nobis esse propositio , si adeò infallibile sit medium cui illa innititur , ut prorsus repugnet ab eo nos falli. Quarta : Illa propositio censenda est physicè certa , quæ vera apparet per medium , quod ex lege naturæ fallere nequit. Quinta : Moraliter certa nobis debet esse propositio , quæ apparet vera ope medii , quod numquam fallit , licet si falleret , neque violarentur naturæ leges , nec aliqua sequeretur contradictio. Sexta : Probabilis censenda est propositio , quæ consentanea veritati attenditur per medium , quod , licet interdum fallat , sepiùs tamen non fallit. Septima : Evidentia in iis quaerenda non est , neque postulanda intrinseca ratio eorum , quæ nobis credenda proponuntur. Octava : Nemini credendum est , nisi prius constiterit , illum idoneum esse testem. Nona : Credendum potius est paucitati Doctorum , quàm multitudini Indocorum. Decima : Opinio fundata in communi , atque constanti omnium populorum consensu , quin de illius veritate aliquis umquam dubitaberit , nec modo sit qui dubitet , pro certa tenenda est. Undecima : In ipsis etiam rebus naturalibus , & scientiis , Divina Auctoritas certissimum veritatis argumentum administrat ; ita ut non liceat Christiano Philosopho pro arbitrio differere in rebus naturalibus , posthabita Sa-

cra

cra Auctoritate : sed Philosophia ita huic subjecta esse debet , ut ab ipsius iudicio pendeat. Duodecima : In disciplinis naturalibus , humanisque artibus , auctoritas SS. Patrum majoris non est ponderis , quam sit auctoritas illorum Philosophorum , quos ipsi Patres secuti sunt. Unde tanti præcisè , hac in parte valent SS. Patrum dicta , quanti valent rationes , quibus illa ostenduntur.

*DE ORDINE , ET METHO PROCEDENDI IN facultatibus tradendis.*

§. IV.

**M**ethodus est *recta dispositio , qua in scientiis tradendis , & in cognitionibus ordinandis progredimur , tum ut veritatem assequamur , tum ut eadem demonstretur.* Methodus duplex est , altera Analytica , seu resolutionis ; altera Syntetica , sive compositionis. Utriusque Methodi usus non philosophicis tantum , sed reliquis etiam disciplinis est frequens. Dubitant hîc facultatum cultores , an in illis tradendis , stabiliendisque servandus sit ordo naturæ , aut non ? Sed nostrum iudicium est , in utraque Methodo servandum esse ordinem naturæ , quantum fieri possit , tametsi præstet aliquando ordinem potius doctrinæ sequi , quo ex una ad captum faciliori notitia , ad cognitiones difficiliore ascendimus , in verso , si opus fuerit naturali rerum ordine. Methodus genericè descripta adhuc partitur in mathematicam , & scholasticam. Methodus mathematica est *ordo inferendi unam veritatem ex alia per se nota , aut præviè demonstrata.* Quare meritò ab omnibus salutatur demonstrativa , naturalis , scientifica , Systematica , studiorumque anima. Methodus scholastica est *ordo per legitimam argumentationem inferendi unam propositionem ex alia , ejusque oppositum refutandi.* Dubitant hic Doctores



tores an Methodus mathematica præ scholastica tradendis scientiis sit aptior, aut è contra? At nostra resolutio est, quòd si Methodus ad veritates invenendas, stabiliendas, dijudicandasque comparetur, utramque Methodum disciplinis omnibus ita accomodari posse, ut magna inde dogmatibus lux, & robur accedat. Verùm si ad scientias publicè tradendas referatur, doctrinasque discipulorum captui aptandas, & exercitationi, scholasticam Methodum aptiorem esse propugnamus, Methodoque mathematicæ præponimus.

*DE NATURA, OBJECTO, QUALITATE, ET  
necessitate Logicæ.*

§. V.

**L**ogicæ nomine ea venit facultas, qua in verò rectè cognoscendo, ordinatèque explicando mens humana dirigitur. Hæc etenim una, ut præclare eam explicat Tullius, *docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde destinguere; postremo habere regulam, qua vera, & falsa judicentur, & quibus positis, sint, quæque non sint consequentia.* Hanc præstantissimam facultatem admittendam esse, præter ingenitam hominibus ratiocinandi vim, quæ naturalis logica appellatur, minimè dubitamus: quinimò nemo illam rectè impugnare potest, quin ejus regulis benè utatur. Esse valdè utilem, maximèque commendandam ad alias comparandas scientias, satis perspicuum est. Cæterum circa ejus necessitatem, & si valdè ab omnibus commendetur, nostra resolutio est, non esse simpliciter necessariam ad alias acquirendas scientias, sive hæ in statu imperfecto, sive perfecto considerentur. Rectè dividitur Logica in docentem, & utentem; qua-

rum rursus quælibet in actualem, & habitualem fecatur. Si ut utens præcisè consideretur Logica non est propriè scientia, benè verò habitus Logicæ docentis inter habitus scientificos collocatur; non quidem inter simpliciter practicos, sed inter simpliciter speculativos. Circa ejus denique objectum, quot sunt Philosophorum capita, tot penè sensus, & sententiæ. Inter Scotistas, alij syllogismum, alij operationes intellectus, alijque modum sciendi Logicæ objectum esse contendunt; sed nos cum hac tertia sententia asserimus, modum sciendi generatim sumptum rectè constitui objectum Logicæ adæquatum, prout illa nunc in scholis edocetur; non verò operationes intellectus, neque syllogismum.

## DE IDEIS UNIVERSALIBUS IN COMMUNI.

### §. VI.

**O**Mnis Idea, vel universalis est, vel particularis, vel singularis. Universalis de qua nunc agimus, dicitur ea, quæ hujusmodi est, ut simul plura in illa conveniant. Itaque supposita universalis divisione, in *causando*, & in *repræsentando*, aliud etiam dicitur universale in *essendo*, quod metaphysicum appellatur, & sic describitur: *Unum aptum inesse pluribus cum sui reali multiplicatione, & divisione*: & aliud in *prædicando*, seu logicum, quod sic explicatur: *Id quod simul, & semel pluribus inexistere intelligitur, & de singulis conjunctim posse affirmari*. Hinc admittendum est universale, quod Peripateticum dicitur; nam universale, nec nudæ voces sunt, nec soli conceptus, sed naturæ quædam communes communibus notionibus expressæ. Et cum natura communicari possit pluribus modis suis inferioribus, hic oritur non levis difficultas. At nostra resolutio hæc est: natura est communis suis inferioribus

bus per indifferentiam, seu negativè, non verò per inexistentiam, seu positivè. Universale logicum, & completum non datur à parte rei, sed unicè fit per mentis opus, seu ope intellectus effingentis, occasione accepta ex ipsis naturis communibus. Hinc inferes, & quidem rectè, naturam numero inmultiplabilem, si possibilis esset, quod penitus rejicimus, non posse à nostro intellectu concipi ut logicè universalem. Unde ad universalitatem logicam, & requiritur unitas essentialis, & entitativa, & simul pluralitas numeralis, seu individuorum. Rectè dividitur universale in quinque universalium species, Genus videlicet, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens.

*DE IDEIS UNIVERSALIBUS IN particulari.*

§. VII.

**E**X quinque Ideis universalibus vulgò numeratis, primum locum, sibi vendicat Genus; quòd quidem illud est, *quòd prædicatur de pluribus differentibus specie per modum partis essentialis, quæ ab altera determinatur, ac veluti contrahitur*: seu ut ajunt, *in eo quod quid*. Hoc autem universale solet etiam dividi, estò accidentaliter, in supremum, medium, & infimum, & rursus in proximum, & remotum. Cùm igitur species subjiciatur generi, simulque individua, sibi subjecta respiciat, duplicem denominationem illa sortita est. Subjicibilis siquidem dicitur, si generi comparetur; prædicabilis verò, si ad individua referatur. Non itaque de genere cui subest, sed de individuis, quibus præest, enuntiari species legitimè potest. Hinc species, non quia subjicibilis, sed quia prædicabilis, secundùm universale constituit; sicque optimè describitur: *Quod prædicatur de*

B plu-

*pluribus numero invicem discretis, veluti completa illorum essentia: quod dici solet prædicari in quid. Triplicem speciem numerant Logici, supræmam scilicet, mediam, & infimam, quàm atomam, & specialem vocant, ex quibus, tam suprema, quàm media, rationem habent tantùm speciei subijcibilis; solaque species infima, peculiare speciei universale constituit; utpotè quæ sola ita est species, ut generis ratio illi prorsus repugnet. Differentia alia est communis, alia propria, propriissimæque alia. Hæc ultima tertium constituit universale, & sic describitur: Quod de pluribus dicitur, veluti eorum pars essentialis determinativa, & contractiva generis. Non est igitur universalis per ordinem ad genus, quod contrahit, nec per ordinem ad speciem, quàm constituit; sed respectu inferiorum ejusdem speciei per ipsam constitutæ. Proprium, quod quartum constituit universale, illud est, quod prædicatur de pluribus, nec ad illorum essentiam pertinet; necessario tamen essentiæ copulatur: quod ita exponi solet: in quale accidentale necessario. Accidens denique quintum universale constituens, illud est, quod de pluribus enuntiatur, velut attributum contingenter iisdem conveniens, & nullam habens necessariam connexionem cum illorum essentia, quod prædicari dicitur in quale contingenter.*

**DE ANTEPRÆDICAMENTIS, ET PRÆDICAMENTIS, generatim sumptis.**

§. VIII.

**P**ER ideas universales plura in unum colliguntur, intellectusque noster plures res quatenus similes instar unius complectitur. Verùm quatenus res ipsæ sunt dissimiles, in classes diversas, quæ Prædicamenta, seu Categoriæ appellantur distribuit, ut res omnes in suum quæque ordinem digestæ facilius defi-

definiri, ac dividi possint. Jubat ergo ad rectæ coordinationis intelligentiam, ea quæ Aristoteles præmisit, seu Antepredicamenta præscire; ut AEquivoca; quæ sunt; *quorum nomen commune est; ratio verò substantiæ per nomen significata, est diversa: Univoca videlicet, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ per nomen significata eadem: Et tandem denominativa, ut quæ ab alio suam desumunt appellationem, à quo solo casu, & determinatione differunt.* Aliqua, nec omnino eadem, nec omnino diversa apparent, Analogaque à Philosophis solent nominari; ex quibus, alia inæqualitatis, alia attributionis, proportionisque alia: at neutiquam Analogum, ut quid medium, inter univoca, & æquivoca admittimus ab illis distinctum. Iis ergo præmissis; quid, & quot sint Prædicamenta aperiamus. Est enim Prædicamentum: *Certa quædam, & determinata rerum series ab intellectu nostro constituta, per quam unicuique rei locus proprius designatur, juxta proportionem, quam ipsæmet res inter sese reipsa servant.* Quisnam fuerit Categoriarum inventor, non omnes idem sentiunt: alij Architzæ Tarentino, Aristoteli alij ejusmodi inventum referunt. Verùm ut ut de Auctore res sit, illud certum habemus, decem Prædicamenta ab Aristotele numerari, videlicet Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, Passionem, Ubi, Quando, Situm, & Habitum. Sex demum arbitramur esse regulas, seu conditiones, quas ipsis rebus convenire præsupponimus, ut in serie prædicamentali transferri possint, ut quod sint ens per se, reale, completum, univocum, in complexum, & finitum. Hinc Deus, cum sit infinitus, omnisque compositionis expers, ritè constitui non potest in coordinatione prædicamentali; si verò omnes res creatæ, sive materiales, sive spirituales.

DE PRÆDICAMENTIS IN PARTICULARI.

§. IX.

**S**ubstantia prædicamentalis, quæ utpotè à toto genere perfectior, ac prior omni genere accidentium, primam fedem inter Prædicamenta obtinet, nihil aliud est, quàm *res per se existens, attamen finita*. Verùm loquendo de substantia universim accepta, ejus conceptus essentialis præferebat principium perfectitatis actualis: sive ejus essentia sita est in perfectitate aptitudinali, adeò ut perfectitas ipsa actualis nullatenus queat ab illa separari. Quantitas secundum Prædicamentum constituens sic definitur: *Forma accidentalis absoluta, quæ substantiam afficiens, vim ei tribuit, quæ cum altera substantia, itidem quantitate affecta in eundem locum minimè penetretur*. Unde ejus essentia, non in extensione partium constituenda est, sed in impenetrabilitate, non quidem actuali, nec aptitudinali, sed tantùm radicali. Quantitas una est continua, discreta altera. Prior est, cujus partes non sunt disjunctæ, sed invicem copulantur; posterior verò, cujus partes non ita uniuntur. Rursus quantitas continua, in permanentem, & successivam dividitur. Hujus species sunt motus, & tempus; illius autem, Linea, Superficies, & Corpus. Discreta similiter, in duas species, Numerum scilicet, & Orationem, distribuitur. Si de iis omnibus quæras, an sint veræ species quantitatis, nec ne? Solùm Lineam, Superficiem, & Corpus, esse veras, & proprias, quantitatis species asserimus. Linea est *longitudo sine latitudine, & profunditate*: Superficies verò, longitudo, & latitudo, sine profunditate: Corpus denique, longitudo latitudo, & profunditas. Hinc Mathematici, quibus est agere de quantitate à materia abstracta, varias lineas, variasque figuras, tam planas, quàm solidas distinguunt, qua-

quarum si cui placuerit, explicationem dabimus. Qualitas secundum quam *quales* res esse dicuntur est: *Forma accidentalis absoluta ratione cujus subjectum ea affectum potest intendi, & remitti.* Hæc dividi etiam solet, estò accidentaliter, in *habitum, & dispositionem, naturalem potentiam, & impotentiam; passionem, & patibilem qualitatem, & demum in formam, & figuram.* Relatio ita describitur: *Ordo, & affectio unius ad aliud.* Hæc visariam secatur, nam una est realis, rationis altera. Prima rursus dividitur in relationem intrinsecus advenientem; & est, quæ constituit Prædicamentum *ad aliquid;* & in relationem extrinsecus advenientem, quæ ad sex ultima Prædicamenta pertinet. De Relationis natura, & existentia, variæ recensentur Philosophorum sententiæ; sed nostra opinio est, in creaturis veras stare relationes reales, quæ sunt formæ extremis relatis superadditæ, & ab ipsis realiter distinctæ. Actio prædicamentalis est, *Respectus extrinsecus adveniens, quo produciens, inducens, aut transmutans refertur ad id, quod produciitur, inducitur, aut transmutatur actu.* Passio verò est, *Respectus extrinsecus adveniens illius, quod produciitur, inducitur, aut transmutatur ad id, quod producit, inducit, aut transmutat actu.* De reliquis Prædicamentis, usus invaluit parum agitari in Scholis.

## DE ENUNTIATIONE, ET DEMONSTRATIONE.

### §. X.

**E**Nuntiatio, seu propositio, generatim sumpta aliud non est, quàm ipsum internum mentis iudicium verbis expressum. Satis aptè describitur: *Oratio in qua unum de alio affirmando, vel negando enuntiat.* Plerumque tamen iudicium, & propositio promiscuè accipiuntur; unde tunc dividi ipsa solet, in *mentalem, & vocalem, seu in internam, & exter-*  
nam

nam. Varias alias patitur divisiones, cum ratione materiae, tum ratione formae; de quibus roga. Solum restat nobis dicere, veritatem, aut falsitatem omnino propositioni competere, ita ut nulla detur propositio, quae vera, aut falsa non sit. Eadem numero propositio contingens, nequit esse vera, & falsa simul; at sinobis sermo fiat de propositionibus singularibus sibi invicem contradicentibus de futuro in materia contingenti, pariter resolvimus, unam esse determinate veram, alteram determinate falsam. Demonstratio, si in ordine ad effectum consideretur, est: *Syllogismus pariens scientiam*: attamen si illa in ordine ad praemissas accipiatur est: *Syllogismus constans veris, primis, immediatis, notioribus, ac prioribus, causisque conclusionis*. Habitus scientiae, fidei, atque opinionis possunt esse simul in eodem intellectu, de eodem objecto per diversa media: at vero earum actus nequeunt esse simul in eodem intellectu circa idem objectum secundum eandem formalitatem consideratum.

## EX PHYSICA Generali.

### DE OBJECTO, DIVISIONE, ATQUE ESSENTIA Physicæ.

#### §. I.

**P**hysices origo caelestis est, ac plane divina. Nec enim ut post Platonem sentit Tullius, *ullum majus, aut melius à Diis datum est munus homini*. Hæc enim sic rectè describitur: *Sciëntia, quæ contemplatur res naturales, ut naturales, earumque principia, affectiones, & effectus nititur perscrutari, & expendere.*

Du-



Duplex autem est Physica : Historica una , & Aethiologica alia. Prior est , quæ res naturales describit ; posterior verò rationem effectuum redit per eorum causas , quas demonstrat. Hujuscæ facultatis nobilissimæ , atque jucundissimæ objectum , id omne est , quod naturæ rationem habet. Hinc non solum corpus naturale , verùm etiam substantia ipsa finita naturalis constitui oportet , tanquam adæquatum Physicæ objectum. Verùm cum Angelorum existentia , atque essentia sola ratione colligatur , nec quid sensibile sit , iccirco præcipuum hujus facultatis objectum est corpus naturale. Physica ergo plurimas etiam demonstrationes continet certas , & evidentes ; proindeque scientia est , & quidem theórica , seu speculativa. Sunt qui putant , rerum naturalium principia , & causas ex Mathesi esse depromendas ; cæterum , & si Geometrica facultas , cùm ingeniis exercendis , tum menti excolendæ plurimum certè valeat , Physicæ tamen omnino necessaria non est. Quo non obstanti ingenuè fatemur , in Physicis tradendis , neque nimis dandum esse Geometriæ , neque ab ea penitus esse abstinendum.

### *DE PRIMIS PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS generatim.*

#### §. II.

**P**hysica prima corporis naturalis principia , ait Philosophus lib. I. Physicorum , *ea sunt , quæ neque ex sese mutuo , neque ex alijs , sed ex ipsis omnia esse oportet.* In assignando principiorum numero , varix , & diversæ fuere Philosophorum sententiæ : nam alij quidem unum , alij verò duo , alij plura : imò aliqui infinita statuebant. Nos igitur nec unum ; nempe *ens* admittimus , sive finitum sit , sive infinitum : nec *elementa* , sive quodlibet seorsim , sive plura simul adstruantur : nec *materiam* , seu congeriem infinitam  
par-

particularum homogenearum, & hetheroginearum, & *mentem*, seu Deum: nec plenum, seu particulas indivisibiles, numero infinitas, ejusdem naturæ, sed figura diversas, & vacuum: nec has sententias quomodolibet innovatas, aut instauratas, ad brincipia mechanica pro intrinsecis primis principiis rerum naturalium stabilienda approbamus. Idem enim dicimus de Chemicorum Systemate quinque principia statuente, quorum tria activa dicuntur; & sunt, *Sal*, *Sulphur*, & *Mercurius*, duoque passiva, quæ sunt, *Flegma*, seu Aqua insipida, & *Terra*, quam vocant Chيميци *Caput mortuum*. His ergo rejectis, nostra resolutio est, Systema Peripateticum de principiis physicis admittendum esse, cæterisque præponendum; adeò ut Materia prima, & Forma substantialis materialis sint duæ substantiæ absolutæ realiter inter se distinctæ. Si autem quæras, quot sint principia entis naturalis? Cum distinctione respondemus: Generationi, seu fieri ipsius corporis naturalis, tria principia intrinseca assignari debent, nempe materia, forma, & privatio: at ipsi rei genitæ, seu generationi in factò esse duo tantum, materia scilicet, & forma respondent.

*DE EXISTENTIA, ESSENTIA, ATQUE AFFECTI-  
onibus Materiæ primæ.*

§. III.

**A**dmittendam esse materiam primam ab elementis realiter distinctam, satis nobis perspicuum est. Sic ritè describitur ex doctrina N. Sub. Doct.: *Est substantia materialis incompleta, & imperfecta, subjectum primum omnium formarum, & mutationum, ac pars essentialis compositi substantialis, velut pura potentia in ordine physico specifico.* Non benè explicatur materiæ essentia, seu corporis, prout ab spiritu secer-  
nitur,

nitur, per extensivum in longum, latum, & profundum, ut voluit Cartesius: nec etiam & si hujusmodi extensioni, cum Newtonianis soliditatem, impenetrabilitatemque addideris; sed ejus essentia stat quàm optimè in extensione ejusdem corporis in ordine ad se. Est Materia prima una specie in omnibus corporibus, cum cælestibus, tum sublunaribus; numero tamen distincta est, in distinctis actu corporibus. Cum ergo propriam habeat essentiam, propriamque existentiam independentem à forma, hinc inde concludit Sub. Doct. Materiam primam existere posse, omni denudata forma, divina virtute, sive per miraculum. Sic enim ait: *Dico, quod non est contradictio, Materiam esse sine forma quacumque substantiali.* At solis naturæ viribus nequit Materia absque forma aliqua existere. Appetit autem Materia omnes prorsus formas appetitu quasi amoris, licet aliter, & aliter; nam sibi unitas appetitu quasi complacentiæ appetit, absentes verò, sive futuras, sive præteritas appetitu velut desiderii. Nec derideant Recentiores vocabulum appetitus, cum illud Mag. P. Augustinus non derideat: sic enim ait lib. II. de civitate Dei: *Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu, atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum, atque ordinis appetitus.*

**DE EXISTENTIA, ESSENTIA, ATQUE AFFECTIONIBUS Formæ substantialis.**

§. IV.

**D**ari Formam substantialem, non obscure colligitur ex Concilio Viennensi, ubi Clemens V. damnavit asserentes animam rationalem non esse formam corporis humani per se, & essentialiter. Forma substantialis sic rectè describitur: *Est perfectio,*  
C
quæ

quæ tribuit materiæ specificam determinationem physicam, & cum illa facit unum specie compositum; & principium est omnium physicarum rei proprietatum. Forma corporis naturalis non est certa complexio, textura, seu combinatio modorum, seu accidentium materiæ; nec certa temperies primarum qualitatum, certa que aliorum accidentium ab eis dependentium combinatio, & adunatio, sed est quid substantiale absolutum in sensu Peripatetico. Hæc forma absoluta à materia distincta metaphysicè considerata completa est, propriaque gaudet existentia; proindeque potest à materia separata divinitus existere. Optimè etiam asserimus, quod omnis Forma substantialis corporea, tam sublunaris, quàm cælestis educitur de potentia materiæ, in qua ipsa Forma, quæ educitur non actualiter, sed virtualiter dumtaxat continetur, & ad ipsam educationem præfuit; nec ad hanc requiritur, quod materia tempore præcedat Formam. Duæ Formæ disparatæ substantiales, seu non subordinatæ, nequeunt naturaliter eandem numero materiam informare; bene quidem possunt per miraculum. Idem suo modo affirmamus de pluribus numero materiis respectu ejusdem numero Formæ; ita ut eadem numero forma possit divinitus plures numero materias adæquatas simul informare.

## DE COMPOSITO NATURALI.

### §. V.

**C**UM ergo materia prima, & forma substantialis sint duo entia essentialiter incompleta, quorum unum rationem habet potentiæ, seu perfectibilis in genere physico, & alterum rationem actus, seu perfectivi; hinc est, quod ex illis per se unitis resultat quoddam totum substantiale per se unum, quod non est ipsæ partes unitæ, nec materia unita  
for-

formæ, nec forma unita materiæ, sed quedam tertia entitas ab illis simul, & collectim acceptis realiter distincta: quæ tamen entitas ipsas materiam videlicet, & formam tamquam partes essentielles físicas involvit; unionem verò, non ut partem essentialem, sed tantum ut conditionem, sine qua non. In toto ergo composito recipitur quantitas; alia verò accidentia absoluta corporea immediatè in quantitate recipiuntur; qua quidem mediante, ipsa in toto composito habentur. Substantia materialis habet partes extra partes entitativè distinctas independenter ab omni prorsus quantitate; neutiquam verò, quantitate denudata tales partes obtinet impenetrabiliter extensas.

## DE NATURA, ET ARTE.

### §. VI.

**S**uppositis varijs Naturæ acceptionibus: illa prout à Physicis usurpatur, sic ab Aristotele explicatur: *Est principium quoddam, & causa, ut id moveatur, atque quiescat, in quo primò, per se, & non secundum accidens inest.* Non rectè constituitur per esse principium activum motus, & quietis, sed per esse principium passivum. Hinc ratio naturæ, non tantum materiæ, & formæ convenit, verùm etiam substantiis omnibus spiritualibus creatis: non sic convenit Deo, qui ut nullas de novo suscipit perfectiones, ita non est natura juxta sensum physicum, sed supra naturam. Ars nunc propriè, ac strictè sumitur; quæ considerari valet, vel ex parte Artificis; & sic habitualiter notificari solet: *Est habitus cum recta ratione factivus; vel ex parte rei artefactæ; & consistit in forma artificiosa, ab Artifice in materia introducta; quæ sic exprimi solet: Est dispositio operis juxta regulas artis.* Ars naturam imitatur, & perficit, non verò naturæ opera potest directè moliri, sed

sed tantum directivè , & applicativè. An per Artem Chemicam verum aurum effici possit , vel non ? Nostrium iudicium est , hoc nec impossibile esse , nec omnino improbabile , si rerum naturas expectemus. Quomodo autem verum aurum à falso discerni à nobis possit , in Palestra cuique curiosius interroganti dabitur responsio.

*DE CAUSIS GENERATIM , ET SPECIATIM.*

§. VII.

**A**tributum causæ quid transcendente est. Illud, enim non spiritualibus tantum rebus , neque solum corporeis , sed utrisque convenire , res est perspicua. Unde causa in genere sic describi potest: *Est id quod re ipsa quidpiam facit , ita ut effectus ab eo principio pendeat.* Aristotelis fuit opinio , quatuor esse causarum genera , quæ ad habendum ens compositum requiruntur , materialem scilicet , formalem , efficientem , & finalem. Causa materialis ritè dicitur *principium ex quo aliquid velut ex subjecto fit* ; quemadmodum causa formalis , *principium est ex quo aliquid fit, velut ex actu , seu perficiente.* Causa efficiens ea est, *quæ activè operatur , & alicui dat esse.* Finalis demum est illa , *cujus gratia aliquid fit.* Hæc causa finalis vera quidem est , & realis , non quòd physicè operetur in effectum ; sed quia re ipsa movet causam efficientem ad agendum , & illam moraliter allicit. Non defuere Philosophi , inter quos Cartesius , qui omnem omnino vim , & energiam rebus omnibus creatis ademerint. Quàm obrem Cartesianorum una vox est , Deum esse unicam efficientem causam rerum omnium ; creaturas verò causas merè occasionales esse. Contra quos asserimus , naturales res non esse causas merè occasionales ; sed vera efficienti , & activa virtute pollere,  
qua

qua ut causæ principales suos effectus physicè attingant. Causalitas, seu ratio formalis causæ efficientis creatæ est actio, quæ realiter distinguitur à causa, & effectu, sivè sigillatim, sivè conjunctim sumptis. Sola substantia immediate aliam producit substantiam; sicut immediate etiam potest aliqua accidentia producere actione physica æquivoca, sivè in se, sivè in alieno subjecto. Accidentia possunt etiam immediate producere in alieno subjecto formas accidentales sibi similes, actione, tam reali, quam intentionali, ne utquam verò possunt producere substantiam, nec totaliter, nec partialiter, imò, nec adhuc divinitus elevari possunt ad substantiam producendam. Unde etsi libenter fateamur: activam creaturarum facultatem, posse divina virtute quosdam effectus supernaturales attingere; non tamen omnes, sed eos solummodo, qui specificam præferunt proportionem cum effectibus, ab illa creatura producibilibus per naturæ vires. Idem suo modo affirmamus de potentia obedientiali creaturarum passiva, quod ampliari, & extendi potest per divinam virtutem ad plures formas supernaturales recipiendas; non tamen ad omnes, ita ut potentia obedientialis passiva non sit in qualibet re ad quamlibet formam suscipiendam.

*DE COMPARATIONE CAUSARUM CUM effectibus, deque Instrumento, & Idea.*

§. VIII.

**D**uas causas totales diversi generis, & ordinis eundem numero effectum producere posse certum quidem habemus. At verò si causæ sint diversi generis aliter judicamus. Unde firmiter tenemus, quod, etsi idem numero effectus virtute divina produci possit à duabus causis totaliter efficientibus, divisim, & distributivè acceptis; non tamen ab iisdem, col-

collectim, & totaliter agentibus. Agens physicum creatum agere potest in distans distantia suppositi; agendo tamen in medium actione simili, aut dissimili, at super naturaliter agere etiam potest in distans, in medium non agendo. Quando verò medium, & distans, susceptiva sunt ejusdem actionis, agens prius in medium proximum sibi agit, quàm in distans: pariterque agens per actionem uniformem dissimilem in subjectum ubicumque æqualiter dispositum magis agit in proximum, quàm in distans. Instrumentum est: *Causa, quædat esse alteri per virtutem alterius illam moventis.* Probabile quidem est, Instrumentum si propriè accipiatur, non esse propriè activum. Idea, seu exemplar est, *id ad quod respicit causa efficiens, dum operatur, ut ad ejus imitationem effectum producat.* Non est autem idea conceptus ipse formalis, quem habet agens, sed est conceptus objectivus, ad quem formalis terminatur: cujus causalitas, si in actu primo consideretur, est directivitas ejus per iudicium intellectus in opere efficiendo verò: at si in actu secundo accipiatur, ipsam directivitatem præferret.

**DE NATURA MOTUS, ET QUIETIS, UBI DE gravitate corporum.**

DE COMP. AR. MET. LIB. III. CAP. III. §. IX.

**A**ristoteles motum universim acceptum sic describit lib. 3. Physicorum cap. 3. *Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia.* Variæ stant species motus, sed præcipua inter omnes, nobisque notissima, est motus localis, quem sic explicant Peripatetici: *Motus localis est transitus, sive translatio de loco in locum.* Hinc contra Cartesianos propugnamus, motum localem non esse translationem corporis ex vicinia eorum corporum, quæ tangit in viciniam aliorum: quietem verò non esse quid reale



le positifum, sed sitam esse in sola motus privatione. **Causa motus projectorum principalis ipsum est projiciens.** At verò continuatio ejusmodi motus, postquam à projiciente separatur projectum, causa instrumentaria non est ita certa: Nos autem pro comperto habemus, ejusmodi causam non esse aerem, neque atomos per se mobiles, nec motum partium internarum corporis projecti, nec legem quamdam generalem naturæ; sed esse vim impressam, seu impetum projectis ipsis à movente communicatum. Gravium verò motus, ab atomis uncinatis, & hamatis non oritur à tellure emissis; nec à motu, & pressione subtilis materiæ, ut Cartesio placet; nec ab aeris crassioris pressione; nec à telluris motu, nec à solo Deo; sed stat in ipsis corporibus principium gravitationis internum: sive jam istud ingenta dicatur materiæ affectio, sive distincta qualitas. Nullum grave descendere potest, nisi centrum gravitatis descendat, lineaque directionis extra illius basis excurrat. Linea directionis ea est, quæ à gravitatis centro ad centrum gravium rectè porrigi intelligitur. Hinc rationem sumus reddituri primo: Cur illi, qui stant recti, aciculam, aut nummum humi jacentem colligere nequeunt, nisi pedem alterum, vel promoveant, vel retrorsum tendant. Secundo: Cur Bajuli, si onus humeris gestent antrorsum incurvant sese; si verò ulnis, aut brachiis onus sustineant, retrorsum inclinentur. Tertio: Cur homines scalam, aut montem ascendentes caput porrigunt, & posteriores partes retro projiciunt. Quarto denique: Cur duo parietes inter se paralleli, qui ad perpendicularum excitantur, magis inter se distent in parte suprema, quàm in parte infima.

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

DE

*DE MOTUS ELASTICITATE, REFLEXIONE,  
& refractione.*

§. X.

**E**laterium, quod etiam motus localis est affectio, vis est sese in statum naturalem restituendi, seu vis est, qua corpus pressum resilit. Motus elastici causa varia in physicis habetur captu, & nutu Philosophorum; nos verò dicimus motum elasticum non esse repetendum, ab ipsa partium corporis textura, nempe ex partium rigiditate, & flexibilitate; nec à mutua componentium partium attractione, sed à quadam virtute ipsis elasticis corporibus intrinseca, qua debitam sibi raritatem, vel densitatem reparant. Ex occurso corporis resistentis mobile aliquando reflectitur; & hic motus reflexus dicitur. Reflexioni consonat refraction, qua corpus mobile, ex via recta in obliquam propter mediij majorem, aut minorem densitatem detorquetur. Utriusque motus causa efficiens per se est ipsamet, quæ motus directi; causa verò adjuvans plerumque est etiam vis elastica ipsius corporis resilientis, aut illius, a quo fit talis reflexio, aut utriusque.

*DE CALORE, ET FRIGORE, HUMIDITATE,  
& siccitate, ubi de raro, & denso.*

§. XI.

**R**aritatis, & densitatis notionem in præsentiarum præcipuè nitimur investigare. Qua in re pro more suo plurimum inter se dissident, & altercantur Philosophi. Sed nos rarefactionem, nec per dilationem pororum; aut constrictionem; nec per novam quantitatem productam, priorique destructa; nec per novam qualitatis acquisitionem: nec per intromissa

cor-

corpufcula in poros corporis rarefientis, fieri arbitramur; fed admittendum eſſe in phyſicis genus quodam raritatis, & denſitatis, quæ nihil aliud præferant niſi majorem, aut minorem localem extensionem. Humidum, ſeu fluidum ab Ariſtotele dicitur *id quod alieno facilè termino terminatur, difficile ſuo*. Siccum verò, *id, quod ſuo facilè termino terminatur, difficile alieno*. His ita, breviter reſolvimus, humiditatem ſitam non eſſe in omnimoda partium diſſolutione, aut jugi motu; nec ſiccitatem haberi per ſolam partium quietem, nec per legem aliquam naturæ, nec per gravitatem, nec per aeris, aut ætheris preſſionem, nec per vim atrahtricem; nec ex atomis ramiſis, & hamatis oriri, ſed utraſque hæc affectiones eſſe formas accidentales ipsis corporibus in exiſtentes; eſſi aliquas diſpoſitiones in illis exigant. Circa verò caloris, & frigoris naturam, dicimus calorem in motu non conſiſtere, aut in ſubſtantiali corpufculorum effluvio; ſed eſſe formam accidentalem abſolutam, cujus præcipua vis eſt homogenea congregare, & ſeparare eterogenea: frigus etiam non eſſe caloris privationem, nec ipsis naturam formaliter conſiſtere in ſubſtantiali effluvio: ſed ritè dici poſſe formam accidentalem abſolutam, cujus vis præcipua eſt, congregare ſimul homogenea, & eterogenea.

*DE CONTINUO, INFINITO, LOCO, ET vacuo.*

§. XII.

**S**It ne continuum ex partibus ita compactum, ut iſtæ in infinitum dividi queant; an verò partes continuum componentes reſolvantur tandem in phyſicè indiviſibilia, myſterium quodam philoſophicum eſt, viamque abſtruſam ſatis inveniet intellectus, qua verſum tendere velit, ut continui naturam perſ-

D

CRU

crutetur. Nos autem etsi probabiliùs censeamus continuum coalescere ex partibus semper divisibilibus; tamen disputandi causa, acuendique ingenium, utramque problematis partem problematicè propugnamus, adeò, ut si ad sinistram ieris, dexteram tenebimus; si ad dexteram autem, ad sinistram ibimus. Infini- tum categorematicum nullum datur, neque dari po- test in creaturis, sivè in essentia, sivè in intensione, sive in extensione, sivè in multitudinè. Syncategore- maticum verò utique dari potest, imò defacto da- tur. Locus non est spatium, sed superficies prima, & immobilis corporis continentis: ejusque immobi- litas non aliunde repetenda est, nisi ex ordine ad telluris centrum, partesque universi fixas, & re ipsa immobiles. Duo corpora quanta nequeunt na- turaliter eundem occupare locum; benè quidem pos- sunt supernaturaliter. Cum ergo certissimum nobis sit, idem numero corpus esse posse simul in diver- sis locis indivisibiliter, & in uno divisibiliter, in aliisque indivisibiliter, neutiquam repugnare dicimus cum Sub. Dict. quod idem numero corpus sit si- mul in duobus locis extensivè, seu circumscriptivè. Locus privatus omni corpore aptum verò repleti dicitur vacuum; & quidem reverà dantur spatia ex- tra hujus mundi ambitum, non positiva, sed nega- tiva; nullum tamen datur, nec dari potest vacuum, sive notabile, seu coacervatum, sive minimum, seu disseminatum naturæ viribus; quin natura ipsum fu- git, & abhorret, mediisque omnibus proportiona- tis vitare conatur: at virtute divina utique dari potest.

\*\*\*      \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*  
 \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*  
 \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*      \*\*\*

# EX PHYSICA

## Particulari.

### DE MUNDO GENERATIM INSPECTO.

#### §. I.

**M**undus ex Aristotele definitur : *Compages ex caelo, terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ in ea continentur.* Plures Mundos esse posibles, non inficiamus; attamen re ipsa unus stat Mundus, qui etsi animatus non sit, ut plerique ex veteribus sensere; esse quidem re ipsa undequaque perfectum, nec mali quidpiam in physicis existere affirmamus. Fuit Mundus à Deo creatus, non ab æterno, sed initio temporis: & quamvis quoad res permanentes optimè potuerit à Deo in æternitate creari; non verò quoad res successivas. Quo autem anni tempore Mundus à Deo creatus, ac dispositus fuerit, non omnes idem sentiunt. Nobis magis arridet illorum sententia, qui Mundum verno tempore fuisse productum affirmant, Sole ascendente signum Arietis. Circa Mundi figuram, Cartesio placuit Mundo repugnare figuram sphaericam habere: contra quem oppositum defendimus.

### DE CIRCULIS SPHÆRÆ MUNDANÆ, DEQUE ipsa sphaera.

#### §. II.

**S**phæra itaque à Geometris sic definitur : *Corpus solidum unica superficie comprehensum, in cuius medio punctum est, à quo lineæ ad superficiem ductæ sunt æquales.* Decem sunt primarii mundanæ sphaeræ  
cir-

circuli, videlicet Horizon, seu Finitor, Meridianus  
 AEquator, Zodiacus, Colurus AEquinotiorum,  
 Colurus Solstitiorum, Tropicus Cancrī, Tropicus  
 Capricorni, Circulus Polaris Arcticus, & Circulus  
 Polaris Antarcticus. Horizon est circulus ille, qui su-  
 periores, nobisque conspicuam mundi partem ab in-  
 feriori invisibili dividit. Horizon est circulus ille, qui  
 etiam vulgò dividi solet, in sensibilem, & rationa-  
 lem. Primus est circulus minor, & Horizonti ratio-  
 nali parallelus, qui solum attingit Terræ superficiem,  
 quàm pedibus calcamus, & cujus diameter non ex-  
 cedit Terræ superficiem ab oculis visam. Secundus  
 est, qui ducit suum planum per mundi centrum,  
 eumque dividit in duas partes æquales. Hinc aliqua  
 sequuntur corollaria primo: Horizon rationalis divi-  
 dit Cælum in duo hemisphæria perfectè æqualia, non  
 sic Horizon sensibilis. Secundo: Singula Telluris lo-  
 ca habent proprium Horizontem, tam sensibilem,  
 quàm rationalem. Tertio: Horizon rationalis muta-  
 tur, dum Terrestris habitator suum locum mutat,  
 non verò Horizon sensibilis. Quarto: Horizon ra-  
 tionalis, atque sensibilis eosdem habent polos, eo-  
 rumque singula puncta à polis istis æqualiter distant.  
 Meridianus est circulus in Sphæra maximus per po-  
 los tum Mundi, tum Horizontis transiens, ipsum-  
 que secans ad angulos rectos sphærales. Hinc tandiu  
 ascendunt astra diurno suo motu, donec ad Meridia-  
 num supra Horizontem; tandiu verò descendunt, do-  
 nec ad illum infra Horizontem pervenerint. Mutatur  
 ergo Meridianus, dum fit progressus ab Ortū in Oc-  
 casum, aut è contra; minimè verò, dum à Septem-  
 trione in Austrum, vel ab Austro in Septentrionem  
 iter perficitur. Licet mutari nequeat Meridianus,  
 quin Horizon mutetur; mutari tamen potest Hori-  
 zon quin Meridianus mutetur. AEquator est circu-  
 lus diurna Cæli revolutione circa Mundi polos des-  
 crip-

criptus , atque ab illis æqualiter utrinque distans, sub quo dum versatur Sol , dies nocti æqualis efficitur. Hinc poli AEquatoris sunt idem , qui Mundi, ab eisque distant quadrante circuli. Zodiacus est circulus major , qui obliquè secat AEquatorem , atque ab illo vicissim in duas partes æquales dividitur , quarum altera ad polum Arcticum declinat ; altera verò ad Antarcticum. Habet etiam Zodiacus 16. ferè , vel ut aliis placet 20. graduum latitudinem , in cuius medio linea quædam reperitur , quæ egyptica vocatur , quòd in illa Planetarum , & Solis eclipses contingant. Dividitur etiam Zodiacus secundùm longitudinem in duodecim partes æquales , quæ signa vocantur , & sunt Aries , Taurus , Geminis , Cancer , Leo , Virgo , Libra , Scorpio , Sagittarius , Capricornius , Aquarius , & Pisces. Hinc poli eclipticæ , adeoque etiam Zodiaci , diversi sunt à polis Mundi, distantiaque istorum ab illis tanta erit , quanta est maxima egypticæ declinatio ab AEquatore. Colurus solstitiorum est circulus major ductus à polo ad polum , secans Zodiacum in punctis Cancris , & Capricorni. Colurus AEquinotiorum est circulus major ductus à polo ad polum secans Zodiacum in punctis Arietis , & Libræ. Tropici sunt duo circuli , quarum alter per initium Cancris , alter per initium Capricorni incedit , ex diurna horum punctorum revolutione circa polos Mundi. Duo circuli polares sunt illi , qui à polis eclipticæ describuntur , dum isti circa Mundi polos diurna Cæli conversione moventur.



*DE TELLURIS FIGURA, ET MAGNITUDE,  
ubi præcipua Geographiæ principia exhibentur.*

§. III.

**T**erraqueus globus, etsi exactè, & geometricè sphæricus non sit; physicè tamen, & ad sensum figuram sphæricam æmulatur; aut si cui placuerit ipsi sphæroidicam tribuere figuram non renuimus. Duplici modo, absolutè scilicet, & respectivè moles terraquea considerari solet, cum de illius magnitudine definienda agitur. Unde dicimus, quod moles terraquea, si cum Cælo præsertim stellifero comparetur, adeò exiguæ est quantitatis, ut perinde ac punctum ad illud se habeat: si verò in se ipsa spectetur, valdè inter se discrepant Auctores, proindeque incertum adhuc est, quanta verè sit absoluta Telluris magnitudo. Hinc supposita telluris rotunditate, sequitur primo: Plures horas eodem physico temporis momento numerant ii, qui in orientaliore telluris loco, quàm qui in occidentaliore existunt. Secundo: Qui ab occasu in ortum progrediuntur, dies singulos breviores habent; è contra verò longiores, qui ab ortu in occasum tendunt. Tertio: Si duorum viatorum ab eodem telluris loco simul discedentium, alter versus ortum, occasum versus alter progrediatur, tum sibi invicem, tota tellure circumnavigata, in eodem iterum loco occurrant, biduo indierum numeratione discrepabunt. Quarto: Non potest dari in tellure planum, ita perfectè planum, quin per illud iter faciens, vel ascendat, vel descendat. Circa telluris divisionem, illam in quatuor principales partes dividunt Geographi, Asiam scilicet, Africam, Europam, & Americam: ex quibus si cui placuerit insigniora Regna dicemus. In convexa terraquei orbis superficie eos ipsos circulos concipiunt



piunt Geographi, qui in superficie mundanæ sphaeræ ab Astronomis finguntur, videlicet præter polos, atque axem in ea distinguunt Horizontem, Meridianum, AEquatorem, utrumque Tropicum, & circulos polares. Longitudo geographica, cujuscumque loci, est distantia ipsius ab eo telluris Meridiano, qui veluti primus in ea assumitur, in AEquatore ab occasu in ortum progrediendo computata. Licet latitudo geographica locorum, facilis sit inventionis, non sic longitudo: plures itaque sunt modi illam investigandi; sed non omnes citra erroris periculum ad praxim queunt revocari: omnium præcipuus observationi lunaris eclipsis innititur, sed nos eclipsim satellitum Jovis pro determinanda locorum longitudine, lunari eclipsi præponimus. De Zonis, Climatibus, Parallelis, deque variis sphaeræ positionibus roga.

*DE SIDERIBUS IN COMMUNI, UBI DE CÆ-  
lorum substantia.*

§. IV.

**S**Tella, fidus, sive astrum dicitur unumquodque ex iis splendidis corporibus, quæ nobis in Cælo apparent, quæque circa nos certa, constantique lege revolvuntur. Stellæ aliæ sunt fixæ, errantes aliæ: fixæ sunt, quæ ita moventur circum telluris globum, ut eundem situm, ordinem, atque distantiam inter se mutuò constantissimè tueantur. De iis dubitatur, an habeant à se propriam lucem, vel illam quam habent, à Sole mutuentur? Sed nobis magis rationi consonum videtur, illas proprio fulgore splendescere. Circa earum magnitudinem probabile quidem est, omnes re ipsa æqualis esse magnitudinis; at quoad apparentiam in sex classes ab Astronomis distribuuntur. Inerrantium stellarum numerus nobis incomprehensibilis est: solus enim Deus novit, qui olim ad Abrahamum alo-  
quens

quens dixit: *Numera stellas si potest*. Errantes verò stellæ, seu planetæ in duas classes secantur ab Astronomis, nempe, in primarios, & secundarios. Primarii dicuntur illi, qui circa Solem, aut circa terram, veluti circa centrum, vel quasi centrum immediatè moventur. Primariorum nomina sunt Sol, Luna, Mercurius, Venus, Mars, Jupiter, & Saturnus. De istorum planetarum effectibus, virtutibus, & proprietatibus, necnon de illorum diversis motibus, variisque aspectibus, prout ab Astrologis statuuntur, roga. Planetæ secundarii vocantur quatuor illæ stellas, quæ gignant circa Jovem, & quinque, quæ Saturnum comitantur. Cæli sunt corpora simplicia; constantque materia, & forma, quin propterea corruptioni defacto subjaceant; nec adhuc satis validum argumentum à Recentioribus proponitur, quo ipsorum corruptio demonstraretur.

*DE PLANETIS IN PARTICULARI, ET PRIMUM de Sole.*

§. V.

**A**cturi de Planetis in particulari ab eo ordiemur, qui est omnium splendidissimus, qui & cuncta sua luce luxtrat, & complet, Paterque viventium meritò appellatur. Hic enim est Sol; qui ut Sacra testatur Scriptura, quarta die fuit à Deo conditus, ut esset diei præses: ejusque substantia non est ignea, nec formaliter calida, ut plures, tum antiqui, tum moderni, pro viribus contendunt. sed quæ sit Solis natura; incognitam nobis esse in tanta distantia censemus. Nigricantes quasdam maculas in Solis disco observarunt olim peritissimi Astronomi, & modò observant, quot quot siderum contemplatio juvat; quæ quidem maculæ non veluti exhalationes sunt, quæ ex solari corpore perinde atque ex accensa fornace erumpant;

pant ; sed sunt quædam corpora solida , quæ planeta-  
rum instar Solem ipsum circumeant. Sol duos habet  
motus , diurnum scilicet , & periodicum : primus il-  
le est , quo movetur ab ortu in occasum , circulum  
AEquatori parallelum diebus singulis veluti descri-  
bens. Secundus est , quo ab occasu in ortum sub ecli-  
ptica incedit : quiquidem motus verus , & realis non  
est. Alij addunt motum vertiginis , quo Sol circum  
axem suum ab occasu in ortum indefinenter sese  
convertit.

*DE LUNÆ SUBSTANTIA , EJUSQUE PHASI-  
bus , & maculis.*

§. VI.

**P**ost Solem considerata venit Luna , illud nempè,  
quod ut ait Plinius, omnium admirationem vin-  
cit , novissimum sidus , terrisque familiarissimum , &  
in tenebrarum remedium à natura repertum. Lunam  
esse veluti alteram terram , in qua non tantum , mon-  
tes , colles , maria , & flumina , sed etiam arbores,  
belluæ , atque homines existant , plurimorum veterum  
constans fuit opinio. Sed nos hac opinione rejecta,  
cum communi Philosophorum , Astronomorumque  
sententia asserimus , Lunam natura sua esse corpus so-  
lidum , ac prorsus opacum, adeò, ut quidquid luminis  
in nos regerit , illud totum à Sole recipiat. Opacum  
ergo Lunæ corpus non polita , levigataque , sed ad-  
modum aspera , & inæquali superficie comprehendi-  
tur. Duo autem macularum genera in lunari disco dis-  
tinguunt Astronomi ; maculas scilicet perennes , sive  
perpetuas , & variantes , seu temporaneas. Prioris ge-  
neris à Lunæ foveis , valibus , voraginibusque depen-  
dent : posterioris verò sunt illæ umbræ , quas altiores  
Lunæ partes in plagam Soli adversam projiciunt. Lu-  
nares phases ex eo proveniunt , quod modò nihil prorsus

E

lus

fus lunaris hemisphærii à Sole illustrati , modò una tantum pars , modò illud totum nobis obertatur. Circa Lunæ phases , hoc unum videtur admiratione dignum , videlicet Lunam non æquali semper temporis intervallo ab illius conjunctione cum Sole , sed quandoque uno tantum die post celebratam synodum , interdum verò duobus , aut etiam tribus diebus supra occiduum Horizontem nobis se prodat. Hujus Phænomeni causam in Palæstra assignabimus. Quemadmodum Solis , ita & Lunæ plures sunt motus , scilicet diurnus , periodicus , & vertiginis , cui alij addunt motum librationis. Motus diurnus ille est , quo ab ortu in occasum circa nos quotidie revolvitur , & 25. , vel circiter horis absolvitur. Periodicus est , quo ab uno Zodiaci puncto ortum versus digressa , ad illud iterum redit , & completur intervallo dierum. 27. hor. 7. min. 43. , secund. 8. Tertius Lunæ motus est , quo circum suum axem ab occasu in ortum lege constanti revolvitur , & fit eodem spatio temporis , quo periodica illius revolutio completur. Motus denique librationis est , quo Luna , veluti trepidatione quadam indefinenter , videtur agitari. Luna non ita movetur sub Zodiaco , ut numquam , quemadmodum Sol ab egyptica declinet ; sed ita ut ejus orbita in duobus ex diametro oppositis punctis egypticam ipsam dirimat. Hæc duo puncta nodi lunares vocantur ; atque horum alter ascendens descendens alter nuncupatur.

## DE QUINQUE MINORIBUS PLANETIS.

### §. VII.

**Q**uinq̄ minores Planetæ sunt Saturnus , Jupiter , Mars , Venus , & Mercurius ; dicunturque minores , quòd à reliquis duobus , Sole scilicet , atque Luna , sua apparenti mole longe deficient.

ciant. Saturnus Egyptiis *Nemesis sidus*, sicuti remotissimus omnium planetarum est, ita ipsis quoque omnibus minor apparet. Non scintillat, nec multum splendet, colore subobscuro, plumbeoque donatus, quòd scilicet nimis à Sole distet, quàm ut vividum lumen ab illo recipere, atque in nos regerere possit. Non ejusdem semper figuræ seprodit Telescopio inspectus. Quandoque enim rotundum, aliquando egypticum, interdum tricorporeum, sive duobus globulis utrinque stipatum, vel potius quibusdam veluti anfulis instructum, ab se visum fuisse testatur Cl. Ricciolus. At postea exquisitioribus telescopiis observatum fuit, corpus Saturni rotundum quidem esse, verùm cingi annulo quodam tenui, plano, ipsique Saturno minimè coherente. Cujus autem naturæ sit ille annulus, & qualis usus, is tantum scit, qui ipsum condidit. Nos probabiliter judicamus, eum consistere in agmine Satellitum, qui in eodem plano sunt, & circa Saturnum revolvuntur. Motus Saturni ab occasu in ortum fit spatio annorum 29., dierum 174., & ferè quinque horarum. Illius orbita secat egypticam in duobus punctis ex diametro oppositis, atque ipsius maxima declinatio ab egyptica est grad. 2. min. 32. Quotidie quoque circa terram Saturnus revolvitur; nec à verò abhorret, etiam moveri circa suum axem. Circa Saturni corpus girant etiam ejus Satellites, qui sunt corpora, non nisi mutuata à Sole luce splendescencia. Post Saturnum sequitur Jupiter, quem *Osyridis* stellam dicebant Egyptii, & est Planeta aspectu maximus, si Venus excipiatur, colore flavus, tamque nitido, vegetoque lumine pollet, ut penes illud vix à Venere discerni possit. Nonnullæ maculæ, quædam veluti fasciæ, inter se parallelæ, nunc tamen latiores, nunc contractiores, neque semper in æquali numero, deprehensæ sunt, telescopi ope, in illius disco.

Jupiter

piter tum diebus singulis circa terram ab ortu in occasum ; tum periodicè ab occasu in ortum , spatio annorum 11. , & dierum 317. , & ferè 15. horarum. Illius Satellites , non secus , ac Saturni , sunt corpora opaca , totum quidquid in illis est luminis , à Sole habentia ; quæ quidem moventur circa Jovem ; sed non omnes æquali tempore. Mars Egiptiis *Astrum Herculeum* , stella est subrubra igneique coloris , quæ etiam habet suas maculas , triplicique motu quemadmodum Saturnus , & Jupiter movetur. Primus est diurnus ab ortu in occasum ; secundus periodicus , quem spatio unius anni , ac dierum fermè 322. in orbita , cujus maxima ab eclipctica declinatio grad. 1. min. 50. sec. 3. definitur , absolvit. Tertius est motus vertiginis circa suum axem , qui 24. horarum , & 40. min. intervallo ab eo perficitur. Venus *Isidis stella* ab Egiptiis dicta , pulcherrimum illud est , splendidumque astrum , quod interdum post Solis occasum supra Horizontem occiduum , quandoque ante illius ortum supra Horizontem ortivum se nobis ostendit. Præter phases lunaribus similimas , plures maculas in suo disco exhibet Venus telescopio inspecta ; in qua etiam montes non secus , ac in Luna Astronomi observati fuere. Illius motus circa Solem fit diebus 224. , & horis ferè 18. ; declinatque illius orbita utrinque ab eclipctica grad. 3. , min. 22. Movetur præterea circa suum axem integram revolutionem complens diebus 24. , & 8. ferme horis. De Mercurio demum , quem Egiptii stellam Apolinis vocare consueverunt , cum sub radiis solaribus ferè semper lateat , pauca de illo tradunt Astronomi ; solum tanquam certum habemus , ipsum circa solem moveri , ejusque revolutionem intervallo dierum 87. hor. 23. cum uno ferme dimidio absolvi.

*DE ORTU, ET OCCASU SIDERUM, LUCEQUE  
diei crepera.*

§. VIII.

**D**Uplex ortus; & occasus siderum solet jam vulgò distingui, quorum alter Astronomicus, Poeticus alter nuncupatur. Astronomicus est, siderum ascensio supra Horizontem, vel infra Horizontem descensio. Poeticus verò ad Solem refertur; & triplex assignatur, videlicet cosmicus, acronicus, & heliacus. Ortus cosmicus est, quando sidera una simul cum Sole supra Horizontem ascendunt: acronicus autem, quando sidera ascendunt supra Horizontem ortivum, eo ipso momento temporis, quo Sol infra occiduum delabitur; heliacus tandem est quando sidus è radiis solaribus, quibus erat immersum se liberat, nobisque se prodit. Astra dicuntur cosmicè occidere cum labuntur infra Horizontem eo ipso momento temporis, quo Sol supra Horizontem ascendit. Occasus acronicus est descensio sideris infra Horizontem eo temporis momento, quo etiam Sol infra illum descendit; occasus verò heliacus est quando sidus ita immergitur radiis solaribus, ut non amplius discerni a nobis possit. Hinc in sphaera recta omnia astra astronomicè oriuntur, & occidunt; minimè verò in sphaera obliqua. Omnia astra, quæ cosmicè oriri possunt, possunt etiam cosmicè occidere, Venere, & Mercurio exceptis. Ea tantum astra oriri queunt acronicè, quæ possunt Soli ex diametro adversari. Crepusculum igitur subobscura ea lux est, quæ tam ante, quam post Solis occasum certo temporis intervallo nobis apparet; hoc enim matutinum vocatur, quando ortum Solis præcedit; vespertinum verò, quando illius occasum sequitur: utrumque siquidem ex eo provenit, quòd  
quam-



quamplures Solis radii , dum telluris atmosphæram subeunt refracti , ab opacis ejusdem atmosphære particulis in nos regerantur. Hinc si non esset telluris atmosphæra à densissimis tenebris ad plenam lucem, & à plena luce ad densissimas tenebras subito transiremus. Crepuscula estate longiora sunt , hieme breviora. In sphæra recta breviora sunt crepuscula, quàm ceteris paribus in sphæra obliqua. Unde quo sphæra obliquior est , eo ceteris paribus crepuscula sunt longiora.

## DE COMETIS.

### §. IX.

**A**bsolutis , quæ pertinent ad stellas tam fixas, quam errantes superest modò ut de cometis aliquid dicamus. Dicitur ergo cometa terrificum illud , ut cum Plinio loquamur , magna ex parte sidus , quod crine , sivè coma , vel cauda donatum, subito quandoque in cælo apparet , tum paulatim à visu nostro sese subducit , adeò ut post certum tempus planè dispareat. Unde cometæ , alij Criniti appellantur , Barbati alij , alijque Caudati. Cometæ non fiunt ex exhalationibus sulphureis in sublimi aere accensis ; nec ex concretionem ætheris , nec halituum , qui ex Sole , ceterisque planetis erumpant, sed sunt errantia quædam sidera , quæ una simul cum alijs initio temporis à Deo condita certa constantique periodo in orbem redeant. Cum autem cometarum lumen apprimè languidum sit planetarum instar , ritè colligimus non fulgere proprio lumine, sed totum , quod resplendent , à Sole quemadmodum planetæ recipere. Huc aperire licet , undenam cometarum cauda oriatur : circa quod resolvimus, cometarum caudam optimè explicari per hoc , quod partes ipsius cometæ non adeò constipatæ à Sole ir-

ra-



radientur, & illuminentur, taliter, ut ex partibus illis extimis cometæ, & ex lumine Solis reflexo cometarum cauda coalescat.

*[DE LUNÆ, ET SOLIS ECLIPSIBUS.]*

§. X.

**S**olem, & Lunam aliquando deficere, seu eclipsim pati satis quidem perspicuum est. Est igitur Solis eclipsis occultatio illius facta per interpositionem diametralem Lunæ Solem inter, ac tellurem; eclipsis verò Lunæ est privatio luminis in Luna ob interpositionem diametralem telluris inter Lunam, & Solem. Eclipsis totalis est, si totum sidus deficit; partialis verò, si tantum aliqua ejus pars deficiat. Eclipsis etiam centralis dicitur, quando centrum sideris deficientis, centrum corporis obscurantis, axis umbræ, & oculus observatoris sunt in eadem recta linea: annularis demum est, quando circumferentia disci sideris deficientis apparet, circulumque luminosum efformat circa interpositum corpus, quod eclipsim efficit. Non fit Lunæ eclipsis, nisi Luna plenilunii tempore, in alterutro nodorum suæ orbitæ, vel prope illum existat; nec fieri potest Solis eclipsis, si distantia Lunæ ab alterutro nodorum suæ orbitæ, dum Soli jungitur major fuerit arcu grad. 16, Et cum Luna dum Soli jungitur, à suis nodis valdè plerumque distet, hinc ratio apparet, cur non singulis noviluniis solaris eclipsis contingat. Solis eclipsis nequit esse universalis, nec ejus maxima duratio in eadem telluris regione duarum horarum spatium valet excedere. Unde inferes, & quidem rectè, Solis eclipsim, quæ, Christo patiente, accidit in ipso plenilunio præternaturalem fuisse.

*DE INFLUXU CORPORUM CÆLESTIUM.*

## §. XI.

**D**E corporum cælestium efficientia nunc differere oportet, qua præsertim in hæc inferiora influere dicuntur. Dubitant ergo Philosophi, an revera cælestia corpora agant in hæc sublunaria, effectus quosdam in ipsis procreando; an etiam influant activè in potentias hominis rationales; nempe in intellectum, & voluntatem? Cui dubio per sequentes conclusiones solutionem parabimus. Prima: Corpora cælestia physicè agunt in hæc inferiora tam simplicia, ut elementa, quàm mixta, sive imperfecta, qualia sunt fulgura, coruscationes, grando &c.; sive perfecta, qualia sunt metala, ut aurum, argentum &c. Secunda: Corpora cælestia concurrunt ad productionem viventium perfectorum; non tamen tamquam causæ principales possunt illa producere. Tertia: Corpora cælestia producere possunt ultimam dispositionem ad animalia imperfecta producenda, verbi gratia, ranam, muscam, & similia; non verò producere possunt ipsasmet earum animas, tanquam causæ principales. Quarta: Corpora cælestia non habent aliquam actionem directam in animam intellectivam; benè tamen indirectam, tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem. Quinta denique: Corpora cælestia nullum habent influxum, nec directum, nec indirectum in voluntatem creatam, ita ut ipsam necessitent ad suas actiones. Quomodo astra in hæc influant inferiora hîc dubitatur: sed nos cum Sub. Doct. resolvimus, illa non agere per solum motum, & lumem, sed etiam per calorem, & frigus, & alias qualitates occultas.

## DE ASTROLOGIA JUDICIARIA.

## §. XII.

**S**upposito astrorum influxu in hæc sublunaria ; Astrologi planetis , ac sideribus eam adscribunt vim , ut etiam homini in primo nativitatis suæ momento legem vitæ , ac fortunæ imprimant. Jubent proinde erigi horoscopum , sivè figuram constitutionis cælestis , quæ in momento nativitatis existit. In hunc autem finem in duodecim plagas Cælum dividunt , quas domos vocant ; & postea quærunt qualis planeta habuerit in cælo dominatum ; & cum illorum plures beneficos , alios maleficos esse arbitrentur , pro dominantis diversitate , futura quæque ominantur fausta , vel infausta. Alias habent regulas , & præcepta , de quibus , si opus fuerit , rationem dabimus. His sic declaratis , dicimus , Astrologos quamtumvis in Astrologia peritissimos , nihil certò erga eventus liberos prædicere nobis posse , præsertim in particulari : quinimo Astaologica facultas hac in parte vana est , adque inutilis , meritoque à SS. PP. , & Ecclesia reprobata : at verò quoad ea , quæ ad Nauticam , Medicinam , & Agriculturam pertinent , ingenuè fatemur Astrologiam non esse penitus rejiciendam ; nec adhuc satis firmum argumentum à Criticis hujus temporis agnovimus , quo è numero facultatum naturalium eam excludere debeamus. Unde inferes , Astrologos prædicere nobis posse aeris mutationes , pluvias , grandines , fulgura , æstus , pestes , morbos , & alia hujus generis. Neque tamen ideo nos istiusmodi facultatis patronos , atque adictos constitui cogites : tametsi nobis , eam , si Professoribus victum fortassè supeditaret , multò plures habituram sit pro comperto.

*DE PRINCIPIIS CHRONOLOGICIS ; UBI DE  
die, mense, & anno.*

§. XIII.

**T**RES præcipuè partes temporis ab Astronomis, & Chronologis, numerantur, dies scilicet, mensis, & annus. Dies naturalis unus dicitur, artificialis alius: naturalis est, illud temporis spatium, quò integra una Solis ab ortu in occasum circa Mundi polos revolutio perficitur. Dies verò artificialis est totum illud intervallum temporis, quo Sol supra Horizontem existit. Est etiam alia diei divisio naturalis, in sidereum, & primi mobilis: sidereus est integra revolutio ejusdem stellæ fixæ circa polos Mundi ab eodem, ad eundem meridianum. Dies verò primi mobilis est revolutio integra AEquatoris supræmi ipsius cæli. Unde tam dies primi mobilis, quamquam solaris, & sidereus sunt omnino inter se inæquales. De alijs divisionibus, tum dierum, tum horarum roga. Mensis vel solaris est, vel lunaris: solaris est tempus, quo Sol unumquodque in Zodiaco signum percurrit; lunaris verò, qui ex certo Lunæ motu sub Zodiaco accuratè determinatur: & est vel periodicus, vel synodicus: periodicus est spatium illud temporis, quo Luna integram unam sub Zodiaco revolutionem complet; constatque diebus 27. hor. 7. min. 43. sec. 8. Synodicus verò est, illud temporis intervallum, quod inter duas proximas conjunctiones Lunæ cum Sole interjicitur; continetque dies 29. hor. 12. min. 44., & sec. fere 4. Quemadmodum mensis ita annus duplex est, solaris, & lunaris. Solaris annus, vel astronomicus est, vel civilis. Est enim astronomicus spatium illud temporis, quod labitur intereadum Sol integram revolutionem sub Zodiaco absolvit, estque propterea dierum 365.  
hor.

hor. 5. min. 49. Civilis tempus illud est, quo Sol Zodiacum percurrit, sed neglectis minutis. Annus lunaris similiter dividitur, in astronomicum, & civilem; primus est spatium temporis duodecim mensibus Lunæ synodicis, astronomicè computatis, definitum, constatque diebus 354. hor. 8. & min. ferè 49. Secundus est spatium temporis certo civilium synodicorum mensium numero definitum. De alijs anni divisionibus, tam solaris, quàm lunaris, sicut & dierum, horarum, & mensium, necnon de alijs temporis partibus, videlicet de Hebdomada, Lufro, & Seculo roga.

### DE CYCLIS CHRONOLOGICIS.

#### §. XIV.

**C**Yclus chronologicus est certus annorum numerus perpetuò in orbem rediens, quo veluti caractere quodam rerum præteritarum tempora distinguuntur. Tres ergo sunt, quos præcipuè adhibent Chronologi, nempe cyclus Solis; cyclus Lunæ, & cyclus Inditionis. Cyclus Solis est systema 28. annorum solarium, quo absoluto, dies Dominici ad eosdem mensium dies restituntur, sive idem literarum Dominicalium ordo in orbem redit. Literæ Dominicales sunt A, B, C, D, E, F, G, quæ Dominicales dicuntur, quatenus Domini dies toto anno per eas indicantur. Cyclus Lunæ, qui & aureus numerus vulgò dicitur est periodus novendecim annorum, quibus absolutis, novilunia, & plenilunia ad eosdem solaris anni dies redire olim credebatur. Meton Athenis dicitur à Censorino id primus invenisse; quamvis alij alijs hujusmodi inventum referant. Verùm illud modò certum nobis est, novilunia, & plenilunia expletis 19. annis solaribus, ad eadem puncta haud quaquam redire. Hinc dato anno Christi juxta  
æram

æram vulgarem, medium inveniendi cyclum Lunæ ei respondentem assignabimus. Cyclus demum Indictionis est systema 15. annorum in orbem recurrens, quo solutio quorundam tributorum in Romano Imperio olim indicebatur. Hinc quovis anno Christi dato, regulam dabimus ad inveniendam tum literam Dominicalem, tum Indictionem ei respondentem.

*DE PERIODIS CHRONOLOGICIS, ÆRIS, SEU Epochis, ubi de celebratione Paschatis.*

§. XV.

**P**eriodus chronologica, prout à cyclo distinguitur, est certum annorum systema, in quo singuli peculiaribus cyclis insigniti sunt. Plures sunt periodi, sed duæ tantum in usu maximè sunt apud Chronologos, Victoriana scilicet & Juliana. Periodus Victoriana est systema annorum solarium 532., confurgens ex multiplicatione cycli Solis per cyclum Lunæ. Hinc datis cyclis Solis, & Lunæ regulam dabimus, ad annum inveniendum in Periodo Victoriana, cui illi competunt. Epochæ, seu AEræ nomine id venit apud Chronologos, ex quo tamquam ex cardine, sive radice anni deinceps numerantur. Sunt ergo Epochæ vel sacræ, vel prophanæ. Dicuntur sacræ, quæ ex Divina Scriptura, prophanæ, quæ ex prophanis historiis repetuntur. Plures ex utroque fonte derivatas recensent Chronologi; ex quibus insigniores subjicimus. Prima est à creatione Mundi: at quot anni fluxerint à mundi creatione ad initium Æræ vulgaris adhuc desideratur, qui id certo definiat; ob quod nobis satis erit opiniones celebriores hîc subjicere. Itaque ab orbe condito ad initium Æræ Vulgares fluxerunt juxta Bibliam Vulgatam anni 3951. Juxta LXX. Interpretes 5200. Juxta Uferium 4004. Juxta Josephum Hebræum 5970. Verum

rùm

rùm quæ ex his opinionibus præferenda sit in medium relinquimus. Secunda est Epochæ Olimpiadum, quæ quidem cœpit anno periodi Julianæ 3938. à Trojana Clade 408. ante AÆram Vulgarem 776. AÆra Vulgaris est Epochæ annorum Domini, quæ quidem initium sumit à Kalendis Januarii anni periodi Julianæ 4714. Ad legitimam Paschatis celebrationem tria præcipuè observari debent juxta Synodi Niceni decretum, nimirum primò, ut agatur die Dominica; secundò, ut dies illa sit post XIV. Lunæ; postremò, ut XIV. illa Lunæ dies, vel cadat in AEquinoctium vernum, vel ipsum proximè sequatur. Hinc cum vernale AEquinoctium in diem 21. Martii tempore Nicenæ Synodi, incideret, illudque ad eam diem modò etiam ab Ecclesia referatur sequitur, Paschalem Solemnitatem ante 21. Martii celebrari non posse; sed si illa dies fuerit sabbatum, & dies XIV. Lunæ cum ea congruat, agendum esse Pascha die 22. ejusdem mensis; transferendum verò in Dominicam proximè sequentem, si dies illa 21. fuerit Dominica. Igitur lunatio, quæ vulgo Paschalis dicitur, nequit ante 8. diem Martii, nec post 5. diem Aprilis inciperè? Recta quidem illatio. Itaque Paschalis Solemnitas, neque citius die 22. Martii, neque tardiùs die 25. Aprilis potest à nobis celebrari De natura, & usu epactarum, sicut, & de Gregoriana anni castigatione in Circo roga.

## DE ELEMENTIS IN GENERALI.

### §. XVI.

**E**lementum ex Arist. definitur *illud corporum, in quod alia corpora dividuntur, in quibus inest potentia, aut actu: ipsum est indivisibile in diversa specie.* Quatuor admittenda esse elementa probabilius censemus

mus, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram; quæ quidem generationi, & corruptioni obnoxia esse propugnamus; non verò ipsorum partes hac illac dispergi, ut contendunt Recentiores. Optimè licet omnia mixta ex quatuor jam enumeratis coalescere possint elementis, non tamen ipsa secundum suam substantiam, seu actu, & formaliter in mixtis permanent, sed solum virtualiter, & in potentia: non quidem in genere causæ efficientis, sed quasi in genere causæ formalis. Suis etiam qualitatibus prædita sunt elementa, uti calor, frigus, siccitas, & humiditas. Omnia elementa esse absolutè gravia, suisque etiam in locis constituta gravitare cum communi Recentiorum propugnamus. Neque tamen id ita accipiendum est, quasi una pars terræ, vel aeris, alteram sibi homogeneam, vel graviorem à suo loco detrudere nitatur; sed quatenus tota terræ, aut aeris massa pondus suum obtinere inteligitur, atque subjectum sibi fundum premere pro ratione basis, & altitudinis. Unde inferes, penè omnes effectus, qui in Machina Pneumatica contingunt, tum etiam gravium liquorum in tubis suspensionem, necnon, & pleraque alia, quæ ad vacuum dicuntur pertinere, ex aeris gravitate, & elaterio, veluti à causa efficiente, ritè repeti posse: etsi quandoque ad illa præstanda accedant circumstantiæ configurationis liquorum, eorundem motus, & turborum dispositio. In prædicta Machina extrato aere crassiore, subtilissima quædam substantia poros vitri permeat, perquos aer crassior trajicere non potest; unde colligimus, præter aerem crassiorem admittendam esse subtilissimam substantiam ætheream, quæ ubique diffusa sit.

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

DE



*DE ELEMENTIS IN PARTICULARI, ET PRIMUM de Igne.*

§. XVII.

**I**Gnem uti contingere vix licet ; ita & naturam ejus investigare non conceditur. At cum rerum naturam ex proprietatibus nobis liceat definire ; ideo ignem sic aliquo modo explicare nitentur : *Est elementum*, cujus natura exigit pingue, oleosum, & crassum alimentum, quo nutriatur ; figuram pyramidatam, qua disponatur ad operandum ; intestinum motum suarum partium, quo objecta corpora dissolvat ; siccitatem demum, & potissimum summam caliditatem. Ignis omnis, vel subterraneus est, vel superterraneus ; proindeque nullum stare ignem sub concavo Lunæ asserimus. Huc pertinet aliqua problema circa ignem solvenda adjungere. Primo : Cur ignis penitus extinguatur prohibito aeris ingressu, ut patet in cucurbitulis medicis, & vasis occlusis. Secundo : Cur ignis diutius in umbra, quàm ad Solem conservetur. Tertio : Cur ignis minus ab aqua marina, quàm ab alia extinguatur. Quarto : Cur moderato flatu augeatur ignis, immoderato verò extinguatur. Quinto : Cur fumus caliginosus, ac pinguis, cum sit aere densior, super aerem tamen purissimum, ac tenuissimum efferatur. Sexto : Cur metalla liquefacta urant ardentius, quàm flamma ignis. Septimo : Cur illi, qui valde frigent, si ad ignem copiosum propius accedant, dolorem sentiunt. Octavo denique : Cur nullum mixtum in igne incolume servari possit sic, ut neque corrumpatur, neque liquefcat, neque frangatur : & cur etiam ignis, non solum ab aqua, verum etiam à se ipsi : itemque minor à majore utique extinguatur.

DE

## DE AERE, SECUNDO ELEMENTO.

## §. XVIII.

**A** pud omnes in confesso est, fluidum esse, & spirabilem aerem, illius interjectu terram cum Cælo veluti comertia sua exercere, luminis esse susceptivum, corporum meatus subire, animalium denique vitam fovere. Esse etiam valdè elasticum minimè dubitamus; circa cuius elaterium, has præcipuè leges, seu regulas tamquam omnino certas habemus. Prima *Elater aeris nititur quaqua versum secundum quamlibet directionem.* Secunda: *Elater aeris inferioris æquatur ponderi totius superioris ipsi incumbentis.* Tertia: *Aer telluri circumfunditur, neque uno in loco altior esse potest quam in altero.* Quemadmodum ignis, ita aer ex suis proprietatibus aptè describitur: *Est elementum grave, elasticum; capax compressionis, & dilatationis; densitatis etiam, ac raritatis, sumè mobile, ac fluidum, & calidum; cuius particulæ spirali gaudent figura, & nonnihi adæssionis habent inter se, & cum alijs corporibus.* Habet etiam aer vim quandam adeò dissolventem, ut ferrum, exedat, atque cuprum, eaque in rubiginem, aut æruginem convertat; quam quidem ex effluviis terrestribus, salinis, & nitrosis repetendam esse dicimus. Ex quibus exhalationibus oritur similiter, ut corpora in libero aere citiùs corrumpantur. His ita, multa de aere quæri possunt. Primo: Cur aer qualitatem contrariam, frigus scilicet, & calorem admittat, non tamen ignis. Secundo: Cur quædam aeri exposita, magis refrigerentur ad Solem, quam in umbra. Tertio: Cur qui aere frigido sudant, pejus se habent. Quarto: Cur aer ex speluncis efflatus sit semper malus, & noxius. Quinto: Cur

aer

aer magis appareat in hyeme, quàm in æstate. Sexto: Cur aer ore efflatus dilatato sit calidus, compresso verò ore sit frigidus. Septimo: Cur in aere tanta sit tempestatum diversitas, aliquando enim vernat hyems; aliquando verò hyemat ver, aliquando æstas friget, aliquando calet hyems. Octavo: Cur aer in terræ visceribus in aquam mutetur. His omnibus quæstiunculis solvendis parati sumus.

*DE AQUA, TERTIO ELEMENTO.*

§. XIX.

**D**E elemento aquæ quidquid dicendum occurrit, ejus descriptione comprehendere utique nitimur. Itaque aquam sic rectè explicamus: *Est elementum, cujus natura exigitiva est summæ frigiditatis, necnon & humiditatis citra excellentiam; cujus particulæ minimæ figuram habent oblongam, & asperitatibus donatæ sunt, atque invicem sibimet adhaerescunt, sic tamen, ut nulla vi comprimantur, nec elastica polleant virtute. Gravis præterea est aqua, & in ipso maris alveo gravitat; quin id propterea obstet, ut ipsa supra libellam suam in tubis capillaribus, & strictioribus siphonibus, etiam velut sponte sua ascendat. Aqua utique permeat quo aer crassior penetrare mininè potest: quin propterea inferas aquæ particulas subtiliores esse, particulis aeris. Corpora autem, quæ aquæ merguntur sequentes Hydrostaticæ servant leges. Prima: *Corpus specificè gravius in fluido leviori eam ponderis sui partem amittit, quantum est pondus fluidi sub eodem volumine. Secunda: Si idem solidum variis fluidis immergatur, pondera, vel partes gravitatis, quæ ab ipso in fluidis amittuntur, erunt ut specificæ fluidorum gravitates.* Hic etiam de aqua quæri potest, primo: Cur aqua sit noxia bibentibus cum æstu, ita ut statim illos interficiat. Secundo: Cur*

G

aqua

aqua paulatim sumpta magis extinguat sitim, quàm si celeriter. Tertio : Cur aqua marina ad natandum sit aptior, seu cur in ipsa, sit facilior natatio. Quarto : Cur aqua, & oleum frigore durecant, non ita vinum, & acetum. Quinto demum : Cur aquæ stagnantes citius putrescant. Horum solutio in Palestra erit.

## DE TERRA QUARTO ELEMENTO.

### §. XX.

**T**erra sicca est, unde in Sacris Literis Arida nuncupatur. Frigida etiam per sese asseritur communi Philosophorum sententia. Non solum aquæ, aeris, & ignis particulis terra referta est, ac permixta, sed insuper innumeris ferè abundat substantiarum generibus, nitro nimirum, sulphure, sale, ceterisque similibus; imo & semina rerum omnium continet, unte omnium rerum dicitur mater. Terræ duæ stant species: nam altera macra est, pinguis alia. Primæ una absolute est sterilis, ut fabulum. Alia verò terra utcumque apparenter macra, & in fœcunda, cum aqua permixta, efformat lutum fertile, & interiori quadam pinguedine donatum. Similiter terra pinguis alia viscosa est, tenax, ac densa, ut Argilla. Alia verò rarior est facilèque solubilis, unde optimè ferax est. Varios etiam succos in se continet terra, quorum alij macri sunt, pingues alij. Sub prima specie comprehenditur Sal communis, & distinguitur in salem mineræ, & fontis, licet iste non aliunde fortassis ducatur nisi ab illo primo. Unde inferes, aquam ex se falsam non esse; sive fontalis sit, sive marina. Sub secunda verò specie comprehenduntur præcipuè Sulphur, & Bitumen, & alia hujus generis. Quare ex dictis sic terra describitur: *Est elementum siccitate, & frigiditate donatum, ramosis partibus compactum, diversasque, ac penè*  
in-

innumeras rerum species continens. Sicut de alijs elementis, sic de terra sequentia problemata parati sumus dissolvere. Primò : Cur totus terræ orbis huc illucque ventis non moveatur, cum magnus globus in aere suspensus facillimè moveri queat. Secundò: Cur terra respectu firmamenti dicatur punctum. Tertio : Cur terra non ita exiccat ac ignis. Ultimo : Cur non omnis fert omnia tellus.

*DE METEORIS IGNITIS, AQUEIS, EMPHATICIS, & spirantibus.*

§. XXI.

**M**eteora dicuntur Phænomena quædam in sublimibus regionibus apparentia, & ad quatuor classes revocantur; nam alia sunt aquea, ut pluvia, Ros, Aura serotina, Pruina, Nix, & Grando; alia ignea, ut fulmen, & fulgur; alia emphatica, ut Iris, Parhælia, Virgæ, & Corona; alia denique Spirantia, ut Venti. Circa Meteora aquea dicimus, ea substantialiter non differre, sed tantummodo accidentaliter. De eorum in particulari constitutione, atque effectibus roga. Iris ex repercussione radiorum Solarium potissimum pingitur in nube rorida, opaca, concava, & Soli opposita. Probabile quidem est, Iridem ante universale diluvium extitisse. Virgæ non aliud sunt, nisi vapores, seu nubeculæ, sed in longum protensæ, quarum coloratio à varia solaris radii reflexione, & refractione formatur. Non verò, ut Cartesius cogitat, per incidentiam radiorum solarium in nubem glaciataam Parhelium fit. Hoc etenim nihil est aliud, quàm spurium, & ementitus Sol, quod non sola reflexione, sed etiam vi refractionis formatur. Fulmina ex sulphureis nitrosisque exhalationibus præcipuè generantur; quibus comitari solent Coruscatio, sive Fulgur, & Tonitru, quæ ad illorum accensionem  
fe-

sequuntur. Coruscatio quandoque est ipsa Fulminis lux, quandoque verò splendor illico evanescens, & sine tronitru est, ac sine ictu; & tunc tantum accidentaliter à Fulmine differt. Tonitru autem est sonus à Fulmine editus, cujus causa non est nubis, sed aeris fractio. Regulariter accenduntur Fulmina intra nubem ipsam, ac per ipsius partem tenuiorem, ac minus resistentem erumpunt; unde nunc sursum, nunc deorsum, aliquando rectè, & tandem oblique vibrantur. Verum non est improbabile, Fulmem, licet rarò id contingat, etiam sereno cælo, & nulla prorsus nube obsisto vibrari. Inter Meteora spirantia primò occurrit perennis ille ventus, qui in torrida Zona sub Æquatore ex oriente in occidentem continuo spirat. Cartesiani sentiunt hujusmodi ventum à telluris motu causari; contra quos tenemus ipsum è Sole potissimum oriri. Aliorum autem ventorum plures causas assignare oportere arbitramur; ut partim à siccis exhalationibus, partim à vaporibus, partim ab aquis effluentibus, partim à Sole, aut Luna venti efficiantur, quibus etiam procreandis Montes nonnihil conferre possunt. Unde Meteora omnia, etiam Fulmina virtute causarum naturalium efficiuntur, quamquam non inficiemur altissima Dei omnipotentis providentia aliquando Fulmina in vindictam peccatorum emitti. Itaque pro comperto habemus, campanarum sonum utilem tantummodo esse ad arcendam nubem, priusquam ista accesserit; non verò dum nubes Turri sacrae jam accessit.

*DE ÆSTU MARIS RECIPROCO, UBI DE ORIGINE Fontium.*

§. XXII.

**Æ**stus Maris. sive ejusdem fluxus, & refluxus, valde semper torfit Philosophorum ingenia.

Hu-

Hujus autem præcipuas proprietates prius expendemus, posteaque quid sentiamus hac de re declarabimus. Celeberrima ergo, & quidem notissima hujus æstus proprietas est, ut aqua Maris per sex horarum spatium sensim ad littus accedat, ibique ad aliquam altitudinem augeatur; deinde verò per æquale temporis spatium sensim decrescat à littore recedendo; tum per alias sex horas iterum affluat, augeaturque, ac denique per totidem horas refluat, & minuatur, ita ut viginti quatuor horarum spatio bis in aliquo littore fluxus, & refluxus contingat. Ita plerumque æstus Maris perficitur, licet aliquibus in locis aliter contingat. Quod attinet ad tempus, triplex periodus in æstu distinguitur diurna scilicet, menstrua, & annua. Diurna est, qua Mare ex Oriente, in Occidentem ad motum Lunæ circumfertur, spatio 24. hor. demptis 50. min. Menstrua est, quæ in Noviluniis, ac Pleniluniis maximam facit Maris intumescentiam; minimam in quadraturis. Annua demum habetur, quod maximus sit æstus in Æquinoctiis, minimus in Solstitiis. Hinc data quavis diei hora, fluxum, aut refluxum Maris dabimus, ejusque magnitudinem, aut parvitatem, in quocumque telluris puncto designato. De æstus marini causa, tot sunt Philosophorum capita, quot sententiæ; sed frustra homines laborant in id inveniendum, quod Deus ipse voluit illis esse abditum, ut nimix illorum sciendæ veritatis cupidini, sicut & furentibus Maris fluctibus terminos constitueret, dicens; *Hucusque venies*. Verum si nobis liceat, quid de hoc mirando eventu sciendum aperire, probabilius judicamus, Lunam esse præcipuam hujus marini æstus efficientem causam. Quamvis ergo pluviales aquæ, nivesque solutæ, fontium, ac fluminum accretioni plurimum deserviant; tamen fontibus omnibus, ac fluminibus efficiendis impares esse arbitramur: unde cum Peripateticis propugnamus, fontes,

&

\*\*\* ) 54 ( \*\*\*

& flumina à Mari potissimum suam originem habere.

*DE MIXTO ANIMATO, SEU DE ANIMA  
in genere.*

§ XXIII.

**P**Ræstantissima mixta animata dici, nobilitatem, atque excellentiam formæ animæ videlicet, si aspiciat, nemo inficias ibit: nihilominus etsi ab anima hujusmodi præstantiam obtineat, animataque appellentur; non tamen ab ea mutuare, seu constitui in ratione mixti admittimus, sed aliam formam substantialem mixti, seu corporeitatis dictam, ad hujusmodi præstandum effectum in viventibus admittendam esse propugnamus. Animæ naturam in ordine ad corpus consideratæ sic cum Aristotele licet explicare: *Actus substantialis primus corporis organici potestate proxima vitam habentis*: at in ordine ad operationes, seu effectus est principium vivendi, sentiendi, & intelligendi. Tres sunt animæ species, vegetativa, sensitiva, & rationalis; vegetativa Plantis, sensitiva Animalibus, & rationalis, sive intellectiva Homini- bus competit. Anima rationalis indivisibilis est, non sic ceterorum viventium animæ; quas omnes esse divisibiles judicamus. Pluribus facultatibus, seu potentiis anima fungitur, quibus sua munia obire possit: quæ generaliter distribuuntur in facultates vegetantes, animales, & spirituales, quæ ulterius in plures alias divisæ sunt: quæ demum animarum facultates nullatenus ab eis sunt realiter distinctæ, nec de illarum sunt essentia, sed formaliter ex natura rei utique ab illis distinguuntur.

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

DE



DE ANIMA VEGETATIVA.

§. XXIV.

**A**nima vegetativa generaliter accepta omnibus viventibus communis est: at verò si specialiter consideretur, solis plantis, seu viventibus non sensitivis convenit; quæquidem sic rectè definitur: *Actus corporis organici potentia vitam vegetativam habentis.* Tres præcipuæ sunt illius operationes, videlicet Nutritio, Augmentatio, & Generatio, quas omnes in plantis, brutis, & hominibus experimur. Viventium autem Generatio ritè dicitur *origo naturalis viventis à vivente in similitudinem naturæ per intrinsecum vitale principium.* Nutritio verò est *conversio alicujus substantiæ in substantiam alterius, facta à virtute vitali intrinseca per intus susceptionem alimenti secundum omnes partes viventis.* Augmentatio demum est *accretio corporis secundum omnes partes per additionem materiæ, facta quidem per intrinsecam virtutem, qua alimentum convertitur in substantiam aliti, adeo ut quod augetur, permaneat idem ante, & post augmentationem.* His tribus facultatibus, & præsertim nutritivæ, aliæ subserviunt facultates velut illarum famulæ. Nutritionis necessitas ex fame, & siti nobis innotescit. Passiones quippe sunt, quæ ex cibi, potusque indigentia in animali excitantur. Unde arbitramur famem ex eo oriri, quod stomachi fermentum, cum nulla, aut ferme nulla habetur in ventriculo, in quam vin suam exerat, cibi digerendi copia, nervosas illius præsertim circa sinistrum ipsius orificium positas fibras suis spiculis pungat, ac vellicet. Eodem quasi modo sitis exoritur nempe, ex humore quodam falso, sive acri, fauces, œsophagum, ipsumque etiam ventriculum vellicante. Quia verò animal continuo motu, & labore, plura è suo corpore emit-

emittit corpuscula, ideo indiget alimento, sine quo vivere haud potest, nisi per miraculum; dummodo sensibilis, vel insensibilis transpiratio locum habeat.

## DE ANIMA SENSITIVA.

### §. XXV.

**A**nima sensitiva à sentiendo sic dicta, quod sit velut principium, unde facultates illæ sensoria oriuntur, quibus mediantibus sensationes eliciuntur, brutis omnibus animantibus convenit. Unde Bruta non sunt mera automata, seu machinæ; nec eorum anima in flamula quadam, aut spirituosa particula consistit; sed est forma absoluta, substantialis, materialis, rerumque materialium cognoscitiva, atque appetitiva; quæ quidem sic definitur: *Actus corporis organici potentia vitam vegetativam, & sensitivam habentis.* Animæ sensitivæ facultates, quæ sensus appellantur, aliæ externæ sunt, & quintuplex sensus dicitur: Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus: aliæ verò sunt internæ, ut sensus communis, Phantasia, &c. Objectum sensus sensibile dicitur, & est ens materiale, extensum, ac singulare, motivum externi sensus per intimam cum eo conjunctionem. Sensibile vehemens, & excellens sensum ledit; at non præcisè quatenus intentionaliter in eum agit imprimendo sui speciem, sed vel ratione alicujus physicæ qualitatis, una cum sensibili specie intentionali ad potentiam directæ, vel per accidens, ratione scilicet confluxus spirituum animalium in ipsam potentiam, dum hæc operatur. Hinc admittendas esse species intentionales contra Recentiores tenemus. Est etenim species intentionalis qualitas objectum, a quo producitur repræsentans potentia, cum qua concurrat ad sensationem eliciendam.

## DE SENSIBUS IN PARTICULARI.

## §. XXVI.

**O**Culum visus organum esse, nullus sanè diffitebitur : at non in toto oculo secundum omnes suas partes considerato efficitur visio, nec etiam in nervis opticis invicem congregantibus, sed in ipsius oculi retina, ubi radii visuales terminantur. Objectum visus duplex statuitur, lux videlicet, & color. Lux fieri nequit per compræssionem materiæ subtilis à corpore lucido ad oculos directæ, nec per effluvium corpusculorum igneorum jugiter è corpore lucido manantium ; sed dici potest accidentaria quædam corporis lucidi affectio, seu qualitas naturaliter consequens subjecti lucipi naturam : lumem verò nihil aliud est, quam species intentionalis à luce in medium illuminatum emissæ. Color est qualitas, seu affectio quædam accidentalis, quæ corporibus coloratis inheret. Duo autem distingui possunt colorum genera ; nam alij per manentes, transeuntes alij dicuntur, quorum primi, constitui minimè possunt in motu globulorum, aut vorticum, nec in sola partium corporis colorati textura, aut in sola lucis reflexione, aut refractione, nec satis explicantur per Theoriam Nevvtonianam ; sed ut jam diximus sunt affectiones objectis coloratis superadditæ ; ita ut quinque admittantur colores primigenii, albus videlicet, niger, flavus, rubeus, cæruleus, ex quorum varia commixtione, accedente etiam varia dispositione lucis, & umbræ, diaphaneitatis, & opacitatis, ceteri omnes colores oriuntur. Auris auditus est organum ; at auditio fit, non aere illo, quem ingenitum vocant, sed in zona cochlæ, & in tribus zonis canalium semicircularium, & in membrana ad

H

ves-

vestibulum Labyrinthi existente. Auditus objectum est sonus; qui sic potest describi; *qualitas secunda solo auditu perceptibilis proveniens ex collisione corporum*. Motus autem medii, qui in soni propagatione habetur, non est motus undulationis, sed tremoris, aut fremitus. Esto nasus sit olfactus organum, in tenui membrana interiores narium anfractus vestiente tale organum præcipuè residet, cujus objectum est odor, qui est qualitas secunda ex primarium temperie orta. Gustus organum est lingua, & palatum, & præcipuè cuspis linguæ, cujus objectum est sapor, qui est passio, seu qualitas immutativa gustus resultans ex permixtione primarum qualitatum Organum tactus in nerveis fibrilis residet, nonque in carne; cujus objectum sunt omnes tactiles qualitates. Unde inferes, organum præcipuum cujuscumque sensus externi esse ejusdem nerveas papillas. Circa sensus internos, aliqui tres admittunt, sensum communem, æstimativam, & memoriam; aliqui his addunt imaginativam, & Phantasiam; & his addunt alij cogitativam, & reminiscentiam.

## DE ANIMA RATIONALI.

### §. XXVII.

**A**nima rationalis, quæ est *actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis*, à solo Deo creatur in corpore, cujus vera forma, licet immaterialis, incorporea, & immortalis, non solum assistens, sed verè informans, hominemque constituens. Unio verò animæ rationalis cum corpore præferret realem influentiam in ipsum corpus; nec explicari ritè potest per hypothesim causarum occasionalium, aut per systema Harmoniæ præstabilitæ. Non unicam, & universalem singulis hominibus assistentem animam admittimus; nec duas in quolibet homine rationales ani-

animas, cum Manicheis adstruere licet; imo neque esse in homine tres animas, sive loco, & sede sejunctas; sive realiter inter se distinctas, eisdem tamen in partibus insidentes, admittimus; cum unica rationalis anima sufficiat in homine ad omnes præstandos vitæ gradus. Refutanda ergo est illa Pythagoricorum sententia de certo animarum numero à Mundi primordio ab Auctore naturæ procreato, quæ corporibus immerfæ, quæ rectè egissent in præstantiora corpora transmigrarent. Illa pariter Platoniorum opinio, quod longe ante corpora omnes rationales animæ à Deo fuerint productæ rejicitur. An verò ad minus successivè plures animæ hominibus insint, adhuc dubitatur; at negativa est resolutio nostra. Circa partes verò corporis, quæ ab anima rationali informantur, aliqui Philosophi dixere, partes omnes corporis, tam solidas, quam fluidas, ab ipsa anima informari. Contra quos asserimus, partes solidas, ut sunt Jecur, Pulmones, Cor, Venæ, Arteriæ, Membrana, Nervi, Stomachum, Ossâ, Dentes, Capilli, & Ungues ab anima informari; non verò partes fluidas, uti sunt Sanguis, sive imperfectus, sive perfectus, & reliqui humores; quod idem affirmamus, & quidem melius, de spiritibus tum vitalibus, tum animalibus, quibus aliqui perperam vitam, & animam adjudicant.

DE ALIQUIBUS NATURALIBUS ANIMALIUM functionibus, deque organis ipsis peragentibus præcipuis.

*DE GENERATIONE ANIMALIUM.*

§. XXVIII.

**A**nimalia quædam imperfecta dici solent, quia exiguo organorum apparatu prædita sunt, ani-

animaque ignobiliore donata. Ad horum igitur generationem quod attinet, duplex Philosophorum sententia est. Prima tenet, si non omnia saltem plerumque, nullo prævio specifico femine, sed veluti sponte sua exputrescente materia, ut de pluribus plantis hujus sententiæ sectatores dicunt, generari. Secunda est Recentiorum, quam nos sectamur, quæ asserit, animalia omnia, utut vilia conditione, & mole exigua, ex fœcundatis ovulis ortum suum derivare, quemadmodum etiam plantæ ex proprio femine oriuntur. Alia animalia perferta vulgò dicuntur, ex quibus duo distinguuntur genera ovipara scilicet, & vivipara. Prioris generis sunt, quæ ova pariunt, ex quibus deinde illorum fœtus erumpunt; posterioris verò sunt, quæ vivos fœtus emittunt. De oviparorum generatione consentiunt Philosophi, ea omnia ex ovibus fœcundatis oriri: at verò de viviparorum generatione nihil fermè inter Philosophos convenit. Scholasticorum namque cum Galenicis sententia est, compingi in utero fœtum ex commixtione seminum utriusque parentis, mediante quadam vi, quam *plasticam*, seu architectonicam appellant. Sed nos cum communi Recentiorum tenemus, etiam animalia vivipara ex ovibus in illorum utero latentibus, atque à masculini seminis aura fœcundatis, partus suos generare. Hinc rationem facile cuique dabimus primo, Cur aliquando unus tantum fœtus oriatur, quandoque plures simul nascantur. Secundo, Cur fœtus vicorpo-reus quandoque nascatur. Tertio, Cur interdum nascantur fœtus, qui membro aliquo destituti sunt, vel aliqua habent organa, aut apprimè vitiata, aut inordinatè disposita. Quarto demum, Cur mulier modò masculinum, modo feminam pariat, sive undenam sexuum discrimen proveniat.

*DE NUTRITIONE FOETUS IN UTERO MATRIS,  
deque illius augmento, & partu.*

§. XXIX.

**D**Uabus membranis, quemadmodum ovi albumem pellicula, involutus est foetus in matris utero. Illarum extima *Chorion*, *intima amnion*, & ambæ communi vocabulo *secundinæ* appellantur. *Amnion* verò humorem quendam continet limpidum, subviscidum, colore, odore, atque sapore dilutum carnis jusculum referentem in cuius medio foetus veluti suspensus heret. Hisce membranis dissectis, funiculus occurrit, umbilicalis nuncupatus, in quo duæ arteriæ, & una vena occurrunt, per quem funiculum foetus primò nutritur, nempè sanguine ex *placenta* per venam umbilicalem ad illius cor delato, atque hinc per ejusdem corpus propulso. An verò foetus in utero respiret, sub iudice adhuc lis est. Affirmativam sententiam tenent plurimi cum *Hypocrate*; sed negativa nobis videtur probabilior. Verùm etsi foetus in matris utero non respiret, sanguis suam etiam in illo, diverso tamen modo, quo in natis circulum absolvit. Certo demum expleto tempore, foetus veluti carceris impatiens, ex utero quo continetur erumpit, cujus causa potissima est abundantioris, quam à matre subministrari possit, alimenti indigentia. Hinc feminæ, quæ partiùs alimentum pueris præbent, citius pariunt; quæ verò uberius, tardiùs. Singulis animalium generibus tempus pariendi definitum est. In mulieribus ergo legitimum pariendi tempus est nonus mensis solaris, vel decimus lunaris à conceptione computatus. Unde arbitramur, mulieres decipi, ut cum *Hypocrate* loquamur, *que longius, quam decem mensium tempus uterum gestare sibi visæ sunt*. De formatione foetus, sicut & de organorum structura, ip-  
si

si intervientium, roga. Nec enim nos pudet, ut S. Clementis Alexandrini verba usurpemus, *in utilitatem audientium nominare dicata conceptioni organa, quæ ipsummet Deum fabricari non puduit.*

**DE CIRCULATIONE SANGUINIS, UBI DE  
Cordis, arteriarum, & venarum structura.**

§. XXX.

**C**OR, ut quibusdam placet, à *currendo* sic dictum, quod, quandiu animal vivit, indefinenter moveatur, est pars corporis organica ad propellendum sanguinem per totum animalis corpus, atque ad illum ex toto ipso corpore iterum recipiendum destinata. Mediam corporis cavitatem occupat, totiusque proinde corporis veluti in centro consistit. Duas continet insignes cavitates, per interjectum parietem, *septum* cordis dictum, robustum, nec perforatum, divisas, quæ cordis sinus, seu ventriculi dicuntur. Duo uterque habet insignia foramina, anterius, & posterius. Ab uno originem suam mutuatur arteriæ; in alterum vene desinunt. Arteriæ sunt canales quidam conici sensim, atque sensim in recessu a corde decrescentes, quibus sanguis ex corde erumpens, ipsosque ingrediens, per universum corpus ad extremas usque illius partes defertur. Venæ verò sunt canales itidem conici, continuo cor versus ampliores, quibus sanguis ex universis partibus corporis ad cor ipsum revehitur. Duo sunt autem pro numero scilicet foraminum cordis, quibus implantantur, tum arteriarum, tum venarum trunci præcipui. Truncus venæ, qui in dextrum cordis ventriculum sese exonerat, vena cava ob illius amplitudinem dicitur; truncus verò arteriæ, qui eidem ventriculo cordis respondet, arteria plumonaris vocatur



tur, quòd nempè in plures furculas divisus, per totam pulmonum substantiam disseminetur. Pulmonaris quoque vena truncus ille vocatur, qui ex pulmonari itidem substantia veluti sumpta origine, in sinistrum cordis ventriculum desinit. Truncus demum arteriæ, qui ex eodem sinistro cordis ventriculo erumpit, aorta, sive, arteria magna nuncupatur. Arteriæ cum venis ita porro communicant, ut in has ex illis liber sanguini transitus pateat; quæ quidem communicatio, licet sensibus, non ubique saltem, conspicua sit, eam tamen dari, experientia satis manifestè demonstrat. Quare sanguinis circulatio est motus ille, quo sanguis ex corde per arterias ad extremas usque corporis partes indefinenter protruditur, tum ex illis ad cor per venas continuo refluit. Itaque sanguinem in viventis animalis corpore indefinenter moveri, tanta evidentia compertum modò est, nemo ut jam supersit, qui de ejus veritate dubitet. Quanto enim tempore sanguinis massa cor pertranseat, suamque in homine circulationem compleat, defini-ri certò non potest. Finis ergo circulationis sanguinis multiplex est. Primò etenim sanguis hoc perenni circuitu suam fluiditatem, congenitumque calorem conservat. Secundo circulante sanguine, omnes corporis partes idoneo calore foventur, crescunt ad debitam magnitudinem, & auctæ nutriuntur. Postremo continua spirituum tam animalium, quàm vitalium jactura, sanguinis circulatione reparatur. Atque hinc sequitur, animalium vitam à sanguinis circulatione adeò dependere, ut illa cessante, animal statim intereat. Dubitari potest hîc, utrum sanguis in viventis corpore incrementum, ultra necessitatem, patiatur? Circa quod resolvimus, hoc minime posse demonstrari: atque propterea firmiter tenemus, Medicis non licere sanguis emissionem præcipere, ob finem, illius minorandi quantitatem: quin ex hoc

infe-

inferas , nos esse inimicos hujus magni auxiliij in mor-  
bis curandis.

*DE MOTU RESPIRATIONIS ; EJUSQUE  
organis.*

§. XXXI.

**O**Rgana, quibus totum respirationis negotium ab-  
solvitur, sunt Pulmones, trachea, & dia-  
phragma. Pulmones, Græcè pneumones, à verbo  
*pneo*, quod est spiro, sic dicti, quatenus inspiran-  
do, expirandoque aeri destinati, sunt duo illi, vul-  
go noti, ingentes lobi, qui exteriùs gibbi, interiùs  
cavi, pectoris cavitatem replent, mollique comple-  
xu cor amplectuntur. Trachea, sive pulmonum fis-  
tula, *veteribus* aspera arteria, est oblongus ille ca-  
nalis, qui ex cartilagineis annulis compositus, à fau-  
cibus in pulmones descendit, ipsisque inferitur, in  
duos primùm truncos, tum in plurimos minutissi-  
mos ramulos, bronchia appellatos divisus. Diaphrag-  
ma est pellis ampla, robusta, & penè in orbem ex-  
pansa, qua thorax ab abdomine, sive pectus ab in-  
fimo ventre transversim dividitur; unde septum me-  
dium, seu transversum nuncupatur. His constitutis,  
respirationis naturam, & usum expendere oportet.  
Quare, respiratio nichil est aliud, quam motus ille,  
quo animal alterna thoracis elevatione, & depressio-  
ne, aerem per os, atque nares exugit, & egerit.  
Atque propterea duobus completur motibus, altero  
nempè, quo aer per os, atque nares in tracheam,  
& hinc in plumones irruit, altero, quo egeritur è  
pulmonibus, ascendensque per tracheam, ex ore, na-  
ribusque erumpit. Prior motus inspiratio, posterior  
respiratio dicitur. Ille à contractione musculorum  
thoracis, & diaphragmatis; hic autem ab eorum  
ref-

restitutione dependet. Plures respirationis usus à Medicis recensentur. Primo etenim respiratio ad olfactum deservit, quatenus nempe odoris corpuscula, per aerem dispersa, una cum illo, dum inspiratur, in olfactus organum incurrunt. Secundo ad screatum, & sputationem. Tertio ad loquelam, cantum, clamorem, &c. Quarto ad fluida promovenda, quæ in ventriculo, intestinis, lacteisque tubis continentur. Quinto ad halitus aqueos sanguinis è pulmonibus cum expirato aere exportandos. Sexto ad elaborationem spirituum animalium, sanguinisque circulationem promovendam. Hinc sequitur primo in animalibus, quæ respirant, necessariam esse respirationem, ut sanguinis circulatio in illis perfectè absolvatur. Secundo nullum eorum animalium quæ respirant, diu vivere impedita respiratione posse. Tertio respirantia animalia, neque in vacuo posita, neque sub aquis demersa diu posse vivere. Quarto respirantia animalia, neque in nimis raro, neque in nimis denso aere diu vivere posse; quod idem eveniret, si ponerentur in recipiente Machinæ Pneumaticæ, aere educto. Quinto respirantia animalia, altissimorum montium cacumina conscendere non posse sine vitæ periculo; neque in aere nimis calido diu manere absque ipsorum suffocatione. Atque eadem ratione in Ecclesiis, alijsve in locis undique clausis, in quibus sit magna hominum multitudo, mulieres, debilioresque viri deliquium facile patiuntur.

*DE ELABORATIONE CHYLI, EJUSQUE IN sanguinem conversione.*

§. XXXII.

**P**Ræcipuum chylicationis organum est ventriculus, vulgò stomachus. In infimo ventre, statim

I

tim

tim sub diaphragmate, positus quidem est, suaque figura, si extrinsecus expectetur, utrem inflatum refert. Duo tamen insignia habet orificia, dextrum nempe, & sinistrum. In hoc, quod est altius dextro, crassius, & latius, oblongus quidam canalis desinit, *œsophagus* vulgò dictus, per quem cibus, ac potus, ex ore in ventriculum ipsum descendunt. Ex dextro verò, quod *pylorus* vocatur, suam intestina originem mutuuntur. Intestinorum itaque nomine venit oblongus ille canalis, tortuosusque tubus, qui à pyloro sumpto initio, admirabili circumvolutione in anum desinit. Licet autem intestinorum unus tantum sit canalis, dividuntur tamen intestina in crassa, & tenuia. Crassa dicuntur, quæ ex crassioribus; tenuia, quæ ex subtilioribus tunicis constant. Illa præterea majorem, minorem ista cavitatem habent. His ita, chylosis illa animalis operatio dicitur, qua ex cibo, potuque assumpto chylus conficitur. Estque chylus albicans ille, sive lacteus succus ex assumpto cibo, & potu in ventriculo, & intestinis elaboratus, ex quo deinde veluti ex materiali principio, sanguis, ceterique humores derivantur. Ad hoc tamen, & quidem mirabile opus perficiendum, plura requiruntur. Necessè siquidem est primo, ut cibus ore exceptus, dentibus minutissimè conteratur, sicque mixceatur cum salivali humore, qui ex variis glandulis per excretorios illarum tubulos in os deducitur, ut in pultaceam massam totus habeat. Deinde cibus hac ratione in ore præparatus, in ventriculum per *œsophagum*, actione fibrarum circularium, quibus ille constat, detruditur; non quidem suo pondere, sed altera illarum, fibrarum dilatatione, & contractione in ipsum adigitur. Est quidem valdè probabile, cibum in ejusmodi descensu imbibi novo succo, ex glandulis *œsophagi* expresso, à quo itidem ad digestionem disponatur. Denique pultacea cibi massa in ventriculum

lum delata, ab eoque excepta, fermentescit, dissolvitur, & in quemdam veluti liquorem, ut ait Cl. Ettmullero *ptisanæ cremori similem* transmutatur. Plura tamen ad hunc effectum requiruntur, nimirum primò motus ipsius ventriculi, diaphragmatis, & abdominis. Secundo ejusdem ventriculi calor. Tertio peculiaris quidam succus ex ventriculi glandulis, quas *gastricas* vocant, perinde atque saliva ex oris glandulis expressus. Quod igitur attinet ad motum ventriculi, certam in primis rem putamus, cibi digestionem, quæ in animalium stomacho peragitur, non esse meram ipsius cibi divisionem in minima homogenea ejusdem frustula, sed ipsius in sua principia componentia dissolutionem. Ad ventriculi autem calorem quod expectat, non minus certum est, ciborum digestionem ex illo, tamquam ex principe causa, oriri non posse, ac sit certum, ex motu ventriculi triturantis ipsam non posse derivari. Princeps itaque efficiens causa digestionis ciborum, quæ in ventriculo absolvitur, est liquor quidam, sive succus, fermenti habens vim, ex ipsius ventriculi glandulis expressus. Cujus autem naturæ sit ejusmodi succus ventriculi, sive stomachi fermentum, una non omnium opinio est. Aliqui enim ipsum statuunt subacidum, alij falsum, alij acido-falsum. Verùm graviores Medici verisimile putant, admirandam ventriculi actionem elaborari, ac perfici non ab acidis tantum, non à falsis, non ab acido-falsis, non ab oleosis, non ab aqueis solummodo; verùm etiam à succis varii generis, atque diversæ texturæ: quam quidem opinionem nos sectamur. Ex chylo, qui per ductum thoracicum in venam subclaviam, atque hinc per venam cavam in dextrum cordis ventriculum, una cum refluxo sanguine illabatur, sanguis ipse conficitur, ejusque imminuta copia ipsius chyli accessione reparatur. Veterum Medicorum post Galenum fuit sententia

tia

tia, sanguificationem in hepate fieri. At nobis magis arridet Recentiorum opinio asserens, *hæmatosim*, sive conversionem chyli in sanguinem inchoari quidem in dextro cordis ventriculo, sed in pulmonibus perfici. Plures sanguinis percolationes, quibus ille vel purgatur a fœcibus vel laudabiles succos conficit, à Medicis memorantur. Prima fit in hepate, ubi bilis à sanguine per illud excurrente separatur; quæ quidem etsi à sanguine separetur, habenda non est tamen pro inutili illius excremento. Secunda, ceterisque notabilior, sanguinis percolatio in renibus perficitur; ubi sanguis ab eo sero purgatur, quod jam vulgò urina dicitur. Verùm de hisce, alijsque etiam sanguinis percolationibus, Medici consulantur: vel in Circo roga.

## DE VARIO ANIMALIUM TEMPERAMENTO.

### §. XXXIII.

**E**X varia etenim dosi elementorum, quibus sanguis constat, animalis temperamentum desumitur; quod quidem dividitur in uniforme, sive ad pondus; & in difforme, sive ad justitiam, quod utique etiam est multiplex: nam aut una tantum qualitas prædominatur ceteris, & tunc oritur temperamentum vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum; aut duæ simul qualitates alijs prævalent, & tunc habetur temperamentum calidum, & siccum, vel calidum, & humidum, vel frigidum, & siccum, vel frigidum, & humidum. Hinc varia exoritur hominum indoles pro diverso temperamentorum discrimine. Unde naturales inclinationes, ipsique mores, solius naturæ spectato impulsu, temperamentum sequuntur corporis; quin propterea inferas humanam ledi libertatem: siquidem *sapiens do-*  
mi-

*minabitur astris.* Circa elementa, quibus sanguis conficitur, Galenicorum fuit opinio, ipsam ex quatuor humoribus immediatè coalescere, scilicet ex humore rubro, quem magis propriè dicebant *sanguinem*, ex humore subflavo, quem *flavam bilem*, ex humore purpurei, & subnigri coloris, quem *melancholiam*, & ex humore pellucido, quem *pituitam* appellabant. At hæc sanguinis constitutio non arridet Recentioribus, nec ex memoratis humoribus, temperamentorum discrimem derivant; sed ex aqua, terra, sale, & sulphure, simul varia dosi in sanguine permixtis. Ecquid sentiendum de his systematibus? En resolutio nostra. Systema Galenicum, si utrumque ad theoriam referatur, nobis videtur probabilius; si verò ad praxim medicam utrumque comparetur, neutrum utique aprobamus; siquidem volumus, Medicum, neque Hypocraticum esse, neque Galenicum, neque cuiusvis alterius systematis sectatorem, sive ex veteribus, sive ex recentioribus; sed unicè sistere, in recta, atque assidua observatione, constantique experientia, & narratione historica. Unde inferes, nec Mechanicam, nec Chemicam, imò nec Anathomiam, si partem chirurgicam excipias, necessariam omnino esse, ad praxim medicam, morbosque pellendos.

**DE VIGILIA, SOMNO, ET INSOMNIS.**

§. XXXIV.

**V**igilia, & somnus sunt duo status, à quibus alternatim sese consequentibus animalium vita dependet. Est ergo vigilia status ille, in quo animal ita se habet, ut omnium sensuum cum externorum, tum internorum functiones, omnesque motus spontaneos, prout illi placet, exerceat. Unde sequitur vigiliam dependere, quemadmodum egregiè habet Cl. Boerhaavius à præsentia spirituum bonorum, copiosorum in cere-

cerebro, medulla ejus, nervis, & musculis; tum simul à bona conditione partium solidarum cerebrum, nervos, & musculos constituentium. Ab iis igitur dependet vigilia, quia animal sine illis, spontaneos quos vocant, elicere non potest motus, nec expeditissimè sentire. Somnus est status animalis privativè, ut est jam notum, vigiliæ oppositus. Quamobrem, ut rectè habet laudatus Cl. Boerhaavius, ex eo oritur somnus, quod spiritus animales vel deficient in cerebro, vel prohibeantur, quominus per nervos defluant, debitamque tensionem, vim, atque robur illis concilient. Hinc ab omni eo somnus in nobis oritur, fovetur, & augetur, quod impedit appulsam sanguinis vitalis in corticem cerebri, ejus transitum per vasa illius, secretionem spirituum inde necessariam, horum derivationem in nervos, organa sensuum, & musculos voluntarios, refluxum horum spirituum ab omnibus his locis, versus sensorium commune. Ex iisdem ergo principiis, seu causis, somnus etiam præternaturalis, seu morbosus oritur, nimirum ex spirituum animalium deficientia in cerebro, & inde ortis nervis, vel ex impedito eorundem libero per ipsos nervos defluxu. Talis certè est gravis ille profundusque sopor cum febre conjunctus, quem Medici cum Galeno *lethargum* dicunt. Unde falluntur certè, qui in vapores ex chylo, humoribusque in ventriculo æstuatantibus erumpentes, atque ad cerebrum usque, ut ipsi ajunt, delatos, somnum refundunt. In somnium est phantasma, seu simulacrum exhibitum per sensum internum iis, qui somno sopiti sunt. Fit autem excitatione specierum in memoria extantium, seu impressionum, & vi phantasiæ percipientis. Unde ad insomnium habendum non debet penitus impeditum esse cerebrum. Insomnium varias habet causas de quibus roga.



## DE MUNDI SYSTEMATE.

## §. XXXV.

**S**ystema Mundi definitur communiter : *Ordo*, sive dispositio partium universi, telluris præsertim, & planetarum, tum inter se, tum relatè ad Mundi centrum, & cælum fixarum, explicandis cælestibus phænomenis accommodata. Plura excogitata olim fuere Mundi systemata, pluresque inventæ hypoteses. Verùm ceteris absoletis, tria tantum in Scholis vigent, inæquali tamen fortuna, sive systema scilicet Ptolemaicum, Copernicanum, & Tyconicum. At si à nobis quæras, quid hac de re, quæ non minus difficilis, ac jucunda judicatur, oporteat definire, per sequentes conclusiones utique aperiemus. Prima : Systema Ptolemaicum Astronomiæ apertè, adversatur ; etiamque Physiçæ contrarium videtur. Secunda : Systema Copernicanum, licet Astronomiæ planè non repugnet ; Physiçæ tamen non omnino videtur consentire. Tertia : Copernicanum Systema Sacræ Scripturæ apertè videtur contradicere ; proindeque defendi haud potest velut Thesis. Quarta denique : Thyconicum Systema planè consonum Astronomiæ est ; nec Physiçæ manifestè adversatur. Unde Systema Thyconicum tum Ptolemaico, tum Copernicano præferendum est. Horum denique Systematum explicationem in Palestra dabimus, si cui placuerit.

## EX METAPHISICA.

DE EJUS NATURA, OBJECTO, HUIUSQUE  
principijs.

## §. I.

**S**cientiarum Regina omnia entium penetrans latubula se offert Metaphysica, scientiarum in  
agmi-

agminè locum tenens, & speculativarum honore præfulgens; cui cum omne ens occurrat, ut ejus naturam, proprietatesque eviscerando veritas elucescat, ens in quantum ens assignatur pro objecto: at non proinde omnium entium speciales naturas speculari debet, sed rerum generalia, & universalia principia ab omni abstracta materia. Ens reale, quod est objectum Metaphisicæ, sic describi potest: *Est illud, quod habet, vel habere potest entitatem extra animam; seu ut ait Sub. Doct. Est illud, quod ex se habet esse circumscripto omni opere intellectus, ut intellectus est.* Ipsius entis conceptus tam formalis, quam objectivus, unicus est, & simplex; ceterum objectivus præcisus est, & distinctus à parte rei à conceptibus inferiorum. Ad ens reale, & rationis non datur conceptus entis, qui sit univocus; cum in hæc ens generalissimè sumptum æquivocè tantum dividatur. Ens reale præferret realitatem objectivam nedum substantiæ, & accidendi communem, verum etiam Deo, & Creaturæ univocam, univocatione quidem diversitatem in modo essendi, ordine essentiali, gradibusque perfectionis admittente.

**DE PROPRIETATIBUS INCOMPLEXIS**  
*entis.*

§. II.

**Q**uibusdam ens datur proprietatibus, ex quibus aliæ incomplexæ, seu simplices dicuntur, complexæque aliæ. Ille sunt unitas, veritas, & bonitas. Transcendentalis unitas est *indivisio entis in se, & divisio à quolibet alio*: non quòd in negatione consistat, cum sit formalitas positiva enti superaddita. Unitas formalis, quæ minor quidem est unitate numerali, naturis communibus à parte rei convenit, non minus ac ipsis rebus unitas numeralis competit independenter ab omni intellectu

tus

tus opere. Hæc unitas numeralis, seu principium individuationis rerum, non à materia prima, sive secundum se considerata, sive quantitate, aliisque accidentibus affecta, oritur; cum hujusmodi cujuscumque rei tam substantialis, quam accidentalis, tam materialis, quam spiritualis (de creaturis loquimur) unitas, sit quædam entitas positiva realiter indistincta, sed distincta formaliter à natura, quæ individuat; quæ entitas differentia individualis, sive hæcitas appellatur. Infra hanc individualementem unitatem omnium maximam aliquid reale involvit suppositum ab ipsa unitate realiter distinctum; ceterum probabilius censemus suppositalitate tantum addere naturæ individuali duplicem negationem comunicabilitatis actualis, & aptitudinalis, ut *quo*, & ut *quod*. Veritas entis est ipsius realis formalitas, qualiter est conceptibile, qualiter est secundum suam naturam, quæ quidem omni enti tam in genere, quam in specie convenit. Bonitas demum alia quidditativa, entitativaque alia inteligi potest; hæc igitur, & non illa est proprietas entis, quæ consistit in ea formalitate positiva, qua ens habet, quod nihil ipsi deficiat ad suam perfectionem entitativam: qua bonitate transcendentali omne ens est bonum.

**DE IDENTITATE, ET DISTINCTIONE, NECESSITATE, & CONTINGENTIA.**

§. III.

**A**liæ entis proprietates complexæ, seu disjunctæ appellatæ, quod duplici vocabulo expressæ, alterutraque illarum omni enti competat, assignantur, inter quas primò occurrunt identitas, & distinctio: omne enim ens, vel est idem, vel diversum. Quælibet ex his in realem, & rationis dividitur, & utraque in plures alias;

K

ad

ad realem strictam distinctionem dignoscendam, aliqua proferuntur indicia, seu signa, ut videlicet ea sit, quæ versatur, inter ea, quorum unum existere potest, altero non existente: vel quorum unum est physicè productivum alterius; seu quæ diversis actionibus producuntur: quæ benè explicata utique sufficient pro signis. Ultra hanc realem distinctionem, quæ prædictis signis colligi possit, aliam realem formalem, quæ solitò Scotica appellatur, utpotè *Characteristica Scholæ Subtilis* admitendam esse propugnamus; quæ nimirum intercedit inter plures rationes, seu minimas entitates in eadem re inseparabiles, quarum una ex propria sua quidditate non est altera formaliter, & seorsim ab alia est adæquatè conceptibilis. Pariter omne ens, vel necessario existit, ut Deus; vel ex accidenti à Deo producitur, ut creaturis contingit: hincque necessitas, & contingentia alia entis disjuncta proprietates dicitur, seu affectio. Denique *actus*, & *potentia*, quæ est altera entis proprietates, bifariam à Metaphysicis accipiuntur; primò quidem pro potentia *objectiva*, quæ est ipsamet rerum possibilitas ad existendum; & pro actu *entitativo* ipsi correspondens, qui est ipsamet actualis existentia: secundo pro potentia *subjectiva*, seu entitativa, quæ est rei existentis capacitas ad aliquid, vel producendum, vel recipiendum, & pro actu, quo aliquid dicitur aliud producere, vel recipere. Res posibles, præter esse objectivum, seu cognitum in intellectu Divino, & esse virtuale in Divina Omnipotentia, nullum prorsus in se habent esse reale entitativum, seu actuale ab æterno. Existentia secundum se, est id, quo res est actu existens: quatenus verò potentia objectiva correspondet, est ultimus actus, quo res formaliter constituitur extra suas causas, & realiter, & actualiter existens: &

con-

convenit omni prorsus enti actuali, eo modo, quo ens est: non tamen realiter distinguitur ab essentia.

*DE ENTIBUS SPIRITUALIBUS, ET PRIMUM  
de Deo.*

§. IV.

**O**Mnes creaturæ, tacita etiam voce, concinnè de Deo Opt. Max. conclamant; ipse fecit nos, & non ipsæ nos. Unde pauci inveniuntur tantæ impietatis, inquit Mag. P. Augustinus, ut impleatur in eis, quod scriptum est: **Dixit stultus in corde suo: NON EST DEUS.** Itaque Dei existentia demonstrabilis est ex ipsis creaturis etsi non à priori. Et quidem est unicus, qui est substantia completa, vivens vita intellectuali perfectissima, & necessario existens. Præcellentia, seu perfectiones, ipsi tribuuntur, attributaque vocantur. Alia via causalitatis tribuuntur, seu productionis, alia via attributionis, seu eminentiæ, alia demum via negationis. Unde omnino immutabilis est Deus, immensus, æternus, & omnipotens, qui etiam summa Providentia pollet, cui Mundus, quæque in eo sunt omnia, quantumvis minuta, vilissima, atque abjectissima, subjiciuntur. Providentia autem, & virtute sua concurrat Deus immediate ad omnes creaturarum effectus, non quidem immediatione virtutis tantum, sed etiam suppositi: at verò hic concursus immediatus Dei non præferat qualitatem physicam creaturis à Deo impressam, quam physicam præmotionem nominant, vi cuius Deus determinet causas secundas, sive naturales, sive liberas ad operandum.

*DE ANGELIS, ET ANIMA SE-*  
*parata.*

§. V.

**A**ngelorum nomine substantias quasdam significamus spirituales, immortales, ratione intelligentiaque præditas, & corporibus non adjunctas, finitas tamen, & creatas. Eorum existentia ex Sacris Literis certò nobis constat: at verò quod ad rationem naturalem attinet, esto non à priori demonstrari possit; potest tamen plausibili satis probabilique ratione, à posteriori colligi. Angeli sunt indivisibiles, & immortales ex natura sua, quibus Deus omnigenam rerum scientiam ab origine indidit. Cum Anima rationalis, non minus ac Angeli sit immortalis, homine pereunte, adhuc in sese remanet, sub quo statu ad metaphysicam considerationem pertinet. Hæc igitur sic describitur à Mag. P. Augustino: *Est substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata.* Unde rationalis anima spiritualis est, omnino indivisibilis, & immortalis; ceterum ejus immortalitas, ratione naturali persuaderi quidem potest, non tamen certò, & evidenter demonstrari. Habet etiam anima cum sit rationis particeps, primarias illas duas facultates, intellectum nimirum, & voluntatem, quæ vi polent activa, tum operatrice in sua objecta, tum productrice suorum actuum; quæ facultates, realiter strictè inter se, & cum anima identificatur, solumque formaliter scoticè distinguuntur.



EX

# EX PHILOSOPHIA MORALI, seu Ethica.

## DE EJUS NATURA, OBJECTO, ET divisione.

### §. I.

**L**UX quædam hominibus cum adsit ingenita, qua generalia morum principia, nullo docente, innotescant, quæ moralis ingenita, seu synderesis appellatur: an alia acquisita admittenda sit, qua moralia præcepta noscantur, ut ad praxim reducantur, si aliquis dubitaverit? affirmativa est responsio. Est equidem admittendus habitus scientificus, practicus, quo homo ad mores rectè componendos, instituentosque ordinetur; cujus objectum honestè probèque vivendi, & agendi modus erit; seu omnes actus juxta rectæ rationis dictamen, & regulas componere, & efformare. Hæc humana, & acquisita moralis Philosophia, alia generalis, quæ ad honestatem in genere; particularis alia, quæ ad alicujus status pertinentem inclinatur, assignatur: quæ particularis, seu specifica, in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam est divisa: Politica demum in Monarchicam, Aristocraticam, & Democraticam, pariter videtur partita.



DE

## DE ACTIBUS HUMANIS.

## §. II.

**A**ctus humanos, ut boni sint, vel mali in genere moris, necessario postulare liberum à quo procedant, principium, una penè omnium vox est. Duplex igitur distinguitur genus libertatis; alia quæ essentialis vocatur, alteraque accidentalis, & ad mores pertinens, quæ indifferentiam præferret tum contradictionis, tum contrarietatis: qua libertate nostram voluntatem pollere firmiter tenemus. Si quæras quandonam voluntas nostra habeat usum suæ libertatis; dicimus, ipsum habere pro eo instanti, quo liberè operatur: non quidem quatenus operatur, sed quatenus sic operatur, ut possit non operari. Circa originem verò, seu radicem, tam intrinsecam, quam extrinsecam, nostræ libertatis, non omnes idem sentiunt; sed nostra resolutio est, extrinsecam nostræ libertatis radicem non esse Divinam Omnipotentiam, sed Dei libertatem: intrinsecam verò sitam esse in ipsa nostræ voluntatis natura, seu indifferentia, non autem in indifferentia ultimi iudicii practici, quod à nostro intellectu efficitur. Unde inferes, voluntatem nostram non determinari ab hoc ultimo iudicio practico intellectus. Nunc quæri etiam potest, utrum nempè voluntas nostra ex sui natura ita sit affecta, ut si ei occurrant duo jucunda bona, quorum alterum appareat majus, & magis delectet, alterum verò minus bonum videatur, minorique delectatione alliciat; voluntas possit quidem physicè, & absolutè loquendo, amplecti bonum minus, majori relicto; id ipsum tamen unquam sit præstitura. An verò sic pro nutu suo queat operari, ut alterum eligat, quod sibi placet,



cet, nec ex sui natura sit determinata ad majus illud bonum minori præponendum. Qua in re posteriorem hanc partem feligimus propugnandam, etsi fateamur voluntatem nostram, plerumque amplecti bonum majus præ bono minori. Attamen nequit voluntas amare malum quatenus ipsi malum repræsentatur, nec odisse bonum positivè quatenus tale cognitum.

*DE VIRTUTIBUS, GENERATIM, ET SPECIATIM.*

§. III.

**P**ROPRIA hominis discretio à ceteris animantibus in eo maximè sita est, ut ille secundum virtutem vivat, & vitia devitet. Itaque virtus moralis, satis aptè describitur à Tullio, lib. 4. Tuscul. Quæst. *Affectio animi constans, conveniensque, laudabilis efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis.* Non insunt nobis à natura virtutes morales, nec à temperamento, estò semi-virtutes, seu quædam virtutum femina in nobis sint; sed per voluntariam assuetudinem comparantur. Virtutum moralium divisio quadripartita primum est in eas quatuor Cardinales virtutes omnibus notissimas; quæ sunt Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia. Prudentia est *habitus intellectum inclinans ad judicandum conformiter legi, quid sit faciendum, vel omittendum in particulari.* Variè etiam dividi potest: primo in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam, quæ ob varia objecta particularia ulterius subdividi possint. Secundo in Eubuliam, Synesim, & Gnome: quæ divisiones improprie erunt in species. Partes integrantes plures habet; si ut cognoscitiva eorum omnium, quæ fieri, aut

aut omitti debent , cum debitis circumstantijs , attendatur , requiritur memoria , intelligentia , frequens recordatio , ratiocinatio , consultatio prudentum , & subita excogitatio mediorum : ut præceptiva verò , & applicativa cognitionis ad opus , requirit discretionem , & ut hæc sit perfecta , circumspectio , & cautio. *Justitia est actio bona , seu virtus moralis , qua voluntas tribuit alteri , quod suum est.* Duplex est in genere : Generalis scilicet , seu Legalis , & privata , seu particularis , quæ in commutativam , & distributivam , ultra dividuntur. *Fortitudo est habitus electivus præbens animis firmitatem , & robur inperferendis , & justis periculis aggrediendis.* *Temperantia demum est virtus moralis , quæ appetitum moderatur circa voluptates , & dolores , præsertim gustus , & tactus.* At plusquam satis de universa Philosophia. *Resellere sine pertinacia , & reselli sine iracundia parati sumus* ( Cic. lib. 2. Tusc. Quæst. ) omniaque Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati , atque examini , sub-  
jicimus.

FINIS.







# INDICE

## DE LOS ASUNTOS TRATADOS EN ESTA OBRA

---

	<u>Página</u>
Ofrenda . . . . .	
Prólogo . . . . .	
Para nosotros . . . . .	7
Las ocupaciones del Párroco . . . . .	9
Las amistades del Párroco . . . . .	11
La servidumbre del Párroco . . . . .	15
Abstenciones que debe guardar el Sacerdote . . . . .	17
Los bienes del Párroco . . . . .	21
La Casa de Dios . . . . .	23
La Casa Parroquial . . . . .	25
Enseres de la Casa Rectoral . . . . .	27
Más sobre Bibliotecas Parroquiales . . . . .	31
Los viajes . . . . .	33
Los Archivos . . . . .	37
La visita a los enfermos . . . . .	41
El Confesonario. . . . .	45
La Predicación . . . . .	47
La Santa Misa . . . . .	51
Hay que Orar . . . . .	53
La Catequesis . . . . .	55
La Acción Social y el Párroco . . . . .	57
Por qué no lo hacemos . . . . .	63
Los Ejercicios Espirituales. . . . .	65
El Párroco, en sus relaciones con la Curia Diocesana . . . . .	69
Post Scripta. . . . .	75









AYUNTAMIENTO  
DE MURCIA  
ARCHIVO

---

EST<sup>E</sup> 1

TAB<sup>A</sup> D

N<sup>O</sup> 26